in ſepulchro non iacebat, ſed ſtabat? Franciſcus ſuperat mirabile opus. Stat mortuus; ſed mortuus ſtat, & non ſepultus: igitur ſepulchro non eget, qui morte nequaquàm iacet. Ratio ſubeſt in termino clauſulæ. *Ibi ipſe*. Non ipſe, qui iam mortuus, & ibi ſepultus. Explicat vocis myſterium, in ſingulare miraculum, poſt mortem ſitus Seraphici: tuncque vel morte iurè nominatur *Ipſe*; cùm mortuus in pedes mirabilite ſtaret, quaſi viveret. Subnititur ſolà divini ſpiritus vi; & cùm mortuus non valeat, ſtare, ſtat; ut conſtet oppoſito ſitu, habitu, vultu, mortuus inſepulti celeberrima gloria; cùm gauderet ipſe ſolus inauditâ mortis vitâ.

Gaudet inaudita mortis vità.

Tempore non curvatur, ſpiritu tantùm nititur. Deus in medio eius: non commovebitur. *Supernè fulmine icti, conſidunt*: ait Plin. 2. *cap.* 54. Ideſt, *Figuntur*, aſſerit Dalecampius. Quid ſi Franciſcus in ipſa morte non cadat; quùm divini amoris triſulco fulmine deſuper ictus expirat? Iccircò in morte canit (cùm Frater Elias diceret, quod plorare deberet) ſuccinens: *Benè veneris ſoror mors*; ut refert, qui dudùm, *Ann.* 1626. n. 22. Optat Parcam, ut in eius conſortio deſignet vitam. Vitam profectò indicabit ipſa mors, ubi poſt obitum, quaſi non mortuus ſtat. De Phœnicis obitu, ut dixi alibi, canitur:

Plin.

Vvàding.

Non ea mors dici, ſed nova vita poteſt.

Camer. 3. *Embl.* 100.

In morte non mors, quia vita, ſed vita nova: etenim novum, cadaver ſine vita conſtitui; & in pedes inflexibile, immobile diuturno tempore ſtare.

Et vità nova.

Excubat in medio Deus: hinc timor effugit omnis;
Numine ſic aras nobilitante ſuas.

Crucius

16 Articulus plenisſimè exponitur à Siracide, quaſi ſpecimen ſitus in obitu nobilisſimo Franciſci. Imago Chriſti quinque plagis exponitur; qui quidem *firmabitur in illo & non flectetur*. Maluend. *Non inclinabitur*. Tigurin. *Firmatus, ſtatu moveri non poterit; qui fuerit innixus huic. Continebit illum, & non cadet.* Exponitur ſanè tabernaculum corporis Franciſci, in ſtatu cadaveris, proprietate viventis: etenim ſi homo deficiente vitâ, in terram corruit, in centrum procumbit; dum Franciſcus moritur, in pedes erigitur, quin deorsùm uti corpus mortuum inclinetur, nec valeat tempus, ut curvitate demutetur ſitus: igitur ille ſpiritus, cuius erat imago, valuit in corpore mortuo; quippe licèt pondus & tempus inclinant, ut cadaver, tamquàm cadaver curvetur, nullo modo flectetur, verùm in ſitu firmabitur. Pende in Franciſci gloriam ampliorem gratiam. Cùm iniuria temporis, & exilio vetuſtatis, ſtat ſine iniuria corpus pulchrum & nitidum, ut aſſerit Bonaventura, ubi ſupr. & Bagatt. d. *lib.6. cap.3. §.2. n.26.* quo munere, ille cuius erat imago, *exaltabit illum apud proximos ſuos*. Tigurin. *Supra ſocios ſuos extollet.* Qui proximi Franciſci fato functi, aut quinam poſt mortem ſocij; dùm devotè recluditur, ut inter illos plus dignatus exaltetur? Sancti Dominicus & Petrus Nolaſcus (uti dixi, loc. cit. *Tom.6.*) qui iacent ibi, virtute comite, poſtquàm illorum defecit mortalis vita, atque rapuerunt æthera. Unde dum Franciſci corpus vel poſt mortem firmatur (quia non flectitur) inter proximos ſocios in monumento exaltatur; quoniam dum iacet penes illum utriuſque corpus, Franciſcus ſtat immobilis etiam in pedes erectus.

Eccl. 15. 3.

Maluẽd

Tigurin

Unde cadaver nõ flectitur, firmatur

Verſ. 4. Tigurin

Inter Dominicũ & Nolaſcum iacentes, ſtat Franciſcus.

17 Cauſam huius ſtationis atribuit Thereſia vehementiæ amoris & ſublevationi mentis, in Deum potentijs omnibus raptis. Ita pluribus in locis (quam ſequitur Ioannes à Cruce, tam in *Aſcenſ. in Carmel.* lib. 2. cap. 5. quàm in *Flamm. viva Amor.* Canc. 3. §. 3. & *Obſcur. Noct.* lib. 2. à cap. 15.) ſed præcipuè *Epiſt.* 18. n. 11. & 19. ubi ait: *Impetus ergo ſpiritus* (ſuſpendium animæ, quem deſiderabat Iobus, *cap.* 7. 15.) *ſive raptus, ſi vehemens, illo remanent frigidæ & ſine motu manus. Unde corpus ſic ſubſiſtit, præut raptus invenerit: ſi ſtat, ſtabit; ſicque permanebit: qui tantum gaudium recipit ex his quæ videt; ut videatur corpus ab anima deſeri, quaſi non animaretur.* In huiuſmodi animæ articulo, ut infit ipſa in *Manſ. ſext.* cap. 8. & 11. & in *Vita*, cap. 16. 20. & 29. tota animæ raptæ ſolicitudo eſt mori. Quod ſæpe pluribus ad velle negatum (ut videbimus *Tautolog. ult. D.2. à n. 3.*) tunc rapto in Deum Franciſco, conceſſum; reliquitque corpus, præut invenit raptus. Stantem Franciſcum invenit: & ſic reliquit: quid ſi elevatis occulis, manibus iunctis, intentus in cœlum, ſupplicantis in modum, ſtet poſt mortem erectus; ſi non aliter invenit cœleſtis raptus? Orantis exhibet, quam habebat formam; dum ſtans reliquit vitam. Apparuit Machabæo Onias poſt mortem; exprimens habitu & vultu, quam exercuerat in vita virtutem. *Poſt hoc apparuiſſe & alium virum* (Græc. *ſtantem*) *ætate & gloriâ mirabilem, & magni decoris habitudine circa illum.* Non cognoſcenti Machabæo, dixit Onias: *Hic eſt fratrum amator, & populi Iſrael. Hic eſt, qui multùm orat pro populo & universâ ſanctâ civitate.* Elucet in Franciſci obitu, quod ibi revelatum in ſpiritu. *Franciſcus Seraphicus Aſsiſij* (ſubdit Bagatt. d. *Append. 4. ad cap. 3.* lib. 6. n. 219.) *ſtat integer & incorruptus, quaſi viveret & ſpiraret.* Stat & mortuus, & ad cœlum extenſis manibus ad modum orantis, fratrum amator, & urbis, à qua catholica fides? Stat & ſtabit. Ita raptus invenit. Firmabitur, non flectetur: & ut neſcientibus virtutum Franciſci innoteſcat & magnitudo & perfectio; poſt obitum, ſtans & orans indicatur à Dominico. Si in huiuſmodi mirabili gloria latet quis; ſocius reſpondet: *Hic eſt.* Ipſe modulatus *Cantic.* 3.

Thereſia

Cauſa ſtationis.

2. Mach 15. 13.

Verſ. 14

Bagatt.

Amoris vehementia, perijt quæ à ſtante oſtenditur vita.

Quid vulneratum perdis amans Amor?
Mihi cor evulſum facibus æternis flagrat;
Facibus amoris. Uritur & ardet:
Et vita mors eſt; moritur & vivens perit.
Amore morior: cordis & viduus gemo.

S. Franciſc.

Quomodò huiuſmodi conſona contrarietas in amore vehementi; videbimus loc. cit. ult. *Tautolog. Didaſc.* 2.

18 Apophthegma celebratur Veſpaſiani, *Imperatorem ſtantem mori oportere*. Sueton. in eo, *cap.* 24. & aptiùs Seneca de viro in virtutibus perfecto, *Epiſt.* 8. *Quæ imperant, in actu mori. In præcipitia curſus iſte deducit. Huius eminentis vitæ exitus, cadere eſt.* Alium Franciſcus in exitu vitalitatis habet exitum. Non cecidit, ſed morte ſubſiſtit, in morte ſitu & poſt mortem oſtendens gloriam mirabilem: etenim ſi Imperatoris muneri congruit, ſtantem mori; amplius Franciſco decus, mori & ſtare. Diximus, in Franciſco patere, quomodò per ſtigmata, in portas lapides ſculptos conſtrui (qui quidem lapides ſancti, hac cælaturà inſigniti) quibus cadere commune, in corporis tabernaculi depoſitione. At ut dicit Propheta: *Salvabit illos Dominus Deus eorum in die illa; quia lapides ſancti elevabuntur ſuper terram eius.* Articulus elevationis Franciſci in ipſa morte, eſt plenisſima expoſitio ſententiæ. Lapis vivus, vulneribus (ut imago Salvatoris, in ſimilitudinem ac conformitatem) vivit cælatus. Huius eminentis vitæ exitus, cadere eſt. Secús in Franciſco fuit: igitur ſic illum Dominus extulit, ut caſurum elevaret, vulnerum ditatum inſignijs, ubi in terram cadaver deſcenſurum tamquàm lapis. Non erat tantùm lapis, ſed lapis ſanctus; quippe mirabiliter inſculptus; & ut illius gloriæ demonſtraretur prodigium; elevatus & erectus in ipſa morte habuit exitum, & in exitu non caſum: quandoquidem & corporeus ſtat pede, quaſi ſine ullo corporis pondere. Hic eſt Franciſcus: poſt mortem etiam

Sueton.

Seneca.

Amantis ſtemma inſigne mori & ſtare.

Zachar. 9. 16.

Erectus ac elevatus in tumulo ex vulnerum impreſsione

——— *Sine pondere pondus:*
Pondera defecta, non ponderoſa manu.

Pamphil. bag.

19 Quomodò ſpiraſſe verum erit, qui in pedes poſt mortem ſiſtit? Plus dignum admiratione; Franciſcum mori & ſtare. Phœnix in morte viget charitatis igne. Illi mors vita & vita nova: imò noviter, quia ſine vitalitate; in quo maxima ſingularisſima gloria, eò quòd flamma coruſcet vitę, ubi vitæ longè flamma: quæ ab æthere provenit, dum ex vivo in eodem ſtatu permanet, erectus quaſi ſubſiſteret: ob cuius miraculum, gaudet mori feſtinus in ortum. Gregor. Nazianzen. *Tetraſtich.* & *Carm. ad Virgines*, ſuccinit:

Unde Phœnix plauditur?

——— *Surgit ſine corpore corpus.*
Haud ſecus egregiâ redduntur morte perennes,
Dum pia divinis ardeſcunt pectora flammis.

Gregor. Nazianz

Fulgurat Franciſcus minor, inter maximos maior; & qui parvus & modicus, in gloria & Familia Seraphica multus: cùm illum uti Phœnicem in cunctis ſingularem, divinum amantem Amorem;

Minor & maior.

Innumeræ comitentur aves, ſtipetque volantẽ.
Alitum ſuſpenſa cohors, exercitus ingens.

Claudiã de *Phœnic.* à v. 78.

DIDASCALIA IV.

Franciſci dives paupertas.

1 IN propoſiti ſingularis argumenta, ad unguem cadit principalis Tautologia. *Parvus* (dicitur) *& modicus, nequaquàm multus.* In pauperrimò Franciſco, ſuppoſiti omninò exploratur mutatio: igitur in opibus cum admiratione multus, qui ac ſe modicus & parvus. Ita virtutes oſtentant, & exictus acta probant. Pauper pauperiori non tàm donabant, quàm iure cedebat. Refert articulum Bonaventura. Palliolum pauperi nimis fœminæ remittens, dicere iuſsit: *Retinui, donec æquioris tituli poſſeſſor appareret* (infit in eius *vit.* cap. 8.) *reputo enim, quæ nobis conferuntur, in noſtrum cedere uſum, donec indigentior ſupervenerit.* Ita charitate factum, & ex neceſſarijs præſtitis in cunctos fratres ſurrexit emolumentum; quoniam ſemper emanavit in divitias inopis Patris voluntariâ paupertas. Erant hæ divitiæ gloriæ, igitur

Iſai. 16. 14.

Bonav.

Quomodò?

Paupertas humilis ſummo coniuncta Tonãti.

Mantuã

Hinc Cordubenſ. Stoicus ait, *Epiſt.* 62. *Cum ſeminudo loquor: illum admiror. Quidni admirer? Vidi, nihil ei deeſſe. Contemnere omnia aliquis poteſt: omnia habere, nemo poteſt. Breviſsima ad divitias, per contemptum divitiarum via eſt.* Quadrat examuſſim

Senec.

Picinel.

Cur ſimilis unionum conchis?

ſim Franciſci hieroglyphicum, nimirùm conchylium oculis exteriore veſte horridum, cæterùm theſauro plenum. Lemma: *Concha gazis gravida.* Adi Picinill. *Mund. Symbol.* lib. 6. n. 64. Nil ex ſe habet, verùm de cœlo diteſcit. Animus Franciſci exprimitur, ubi conchæ præ paupertate confertur: etenim quia voluntariè vacuus propter divitem inopiam, è cœlo continet pretioſiorem paupertatis margaritam. Cum ſeminudo loquor: illumque & ingenium mitor, cùm quia nihil habet, omnia poſsidet inveniens compendium in acquiſitionem divitiarum: equidem quippe nudus & vacuus, apparet opibus plenus.

Eccli. 24. 23.

Quare viti in fructus?

2 Dicere valet iurè: *Ego quaſi vitis fructificavi.* Cur ergo ad fortunas locupletes, ac inexhauſtas opes; utitur dumtaxàt ſimilitudine vitis? Vitis quo pauperior, feracior, quò magis nuda opulentior, atque expoliata ditior. Expoliatur ut habeat, denudatur ut diteſcat: depauperatur, ut germinet; exuitur neceſſarijs, ut abundet; quippe potiora ad divitias de paupertate compendia: Franciſcuſque perpropriè confertur viti, in voluntaria mirabili nuditate; quippequàm ita fructificavit paupertas, ut totius orbis contineret divitias. Decrevit enim in paupertatis fructum, & in filiorum exemplum, omnia largiri: quoniam eius ingenium ſtuduit nihil habere. *Non quaſi imperans dico* (verba ſunt Pauli) *ſed per aliorum ſolicitudinem* (Alapid. *Exemplum eorum, qui tam ſoliciti ſubvenire pauperibus*) *etiam veſtræ charitatis ingenium bonum comprobans.* Ingenium eſt, divitijs divitias acquirere; at ſi momenti, non magni: etenim etſi indipiſcatur aliqua, haudquaquàm acquirit omnia. Eſt ingenioſa charitas, ſi cuncta acquirit paupertas: comprobaturque per Paulum huius ſubtile charitatis ingenium; quoniam ſingulare ingenij paupertatis acumen, opes in illa invenire, & nequaquàm paupertatem. Dixi ad exemplum filiorum, quippe ſequuntur exemplum. Floridè Gregor. Nazianzenus. *Habentur enim* (ait *Oration.* 12. n. 2.) *opes in paupertate, poſſeſsio in peregrinatione, gloria in contemptu, potentia in infirmitate, fœcunditas in cœlibatu; delicijs minimè ſtudere, pro delicijs habent: regni cœleſtis causà humiles ſunt: in mundo nihil habent, & ſupra mundum exiſtunt: in carne extra carnem vivunt: pro portione Deum habent, qui propter regnum inopià laborant, & propter inopiam regnant.* Mactè ingenio Minoritæ. Omnia habetis, non tàm quia eleemoſynas datis; quàm quia datæ ex eleemoſynis.

2. Cor. 8. 8.

Alapid.

Quomodò eius ingenioſa charitas?

Qualis Familia Seraphica?

Gregor. Naziàz.

Ioann. 13. 3.

3 *Omnia dedit ei Pater in manus*: dicit Ioannes de Chriſto, cùm ſederet in cœnaculo: conſummatoque convivio ſolemni, dixit emphaticè diſcipulo proditori: *Quod facis, fac citiùs. Hoc* (infit) *nemo ſcivit diſcumbentium ad quid dixerit ei. Quidam enim putabant, quia loculos habebat; egenis ut aliquid daret.* Ut daret egenis? Chriſtus nonne cum collegio vivebat ex eleemoſynis? Sanè à fidelibus accipiebat dona, quæ ad uſum, arbitrabatur neceſſaria. Cur igitur ſi neceſſaria ad uſum, diſtribuit in uſum pauperum? An quæ neceſſaria ſecum retinuit, donec æquioris tituli creditor appareret? Profectò: acceptabatur enim præſtita gratia, *vel ſuis vel pauperum uſibus ſuggerenda* (inquit Venerab. Bed. in *Luc.* lib. 4. cap. 54.) *& à fidelibus oblata conſervans, & ſuorum neceſsitatibus alijſque indigentibus tribuens.* Pende, *Alijs indigentibus.* Ergo ipſe indigebat. Et neceſſaria erogabat? Expreſsit culmen perfectionis in eleemoſynis: quandoquidem micat ſummum charitatis; quòd dare liberaliter iuſsiſſet, quo ad uſum neceſſarium indigeret. Oblatam eleemoſynam conſervat, vel pro ſe, vel ut diſtribuat. Pro ſe tamquàm neceſſarium; & deſerit vel quæ ad uſum, in charitatis perfectionem: igitur elevat in ſublimius charitatem, quiſquis neceſsitatem non aſpicit tempore neceſsitatis; quippe nec uſus, dum alij acceſſerint pauperiores. Hoc intuitu memoratur, illi cuncta tradita à Patre, cùm ita ſtuderet diſtributioni eleemoſynæ. Non accipiebat, ut ſecum retineret, ſed ut accepta per eleëmoſynam daret: tuncque bona cuncta habere ſignatur, ubi oblatum ad uſum, quantumvis neceſſarium diſtribuitur; quippe abundat huiuſmodi paupertate divitijs, qui eleëmoſynas fecerit ex acceptis eleëmoſynis.

A Verſu 48.

Vener. Bed.

Eleemoſynas facit ex eleemoſynis.

4 Reſplendet ſpectabilis paupertatis pulchritudo uti in ſpeculo; dum ſæpe Franciſcus neceſſario caruit uſu. *Speculum & ſplendor omnimodæ ſanctitatis*: ſubdit Bonavent. d. cap. 6. Non ſolùm videtur in ſpeculo, ſed omnimodo. Omnia & ad omnia poſsidet, dùm nihil habet. Habet quia tribuit, charitatis exercitio; & ad lucrum, eleëmoſynæ ingenio: igitur inopibus bonorum creditoribus generoſus erogabat, etiam totum quod in uſum tamquàm pauper accipiebat.

Bonav.

Franciſcus ſpeculum & ſplendor charitatis.

Sapientis eſt, divitem aſpicere paupertatem: Dicit vel Ethnicus in *Supplices*, v. 176. Non implicat, quùm paupertatem divitem nominat. Ni cuncta haberet, quæ neceſſaria non daret. Illi omnia tradita: ab illo vel ad uſum

Euripid.

Philip. Briet.

uſum neceſſaria diſtributa. Patet igitur per gratias. guam dives nuda paupertas. *Franciſcus vir auſteriſsimæ paupertatis* (Ita Briet. ad *Ann. Chriſt.* 1182. & *Ann.* 1226. *Paupertatis amantiorem neminem vidit Eccleſia; & fortè nullum Chriſto chariorem.* Unde tot chariſmata ſingulariter adeptus? Dicit Paulus. *Eſt autem quæſtus magnus pietas cum ſufficientia.* Non adinſtar hypocritarum, in quibus pietas ad quæſtum; quo nullam indipiſcuntur gloriam, quippequàm receperunt mercedem ſuam. Pietas utique felicem ob uſuram laudanda: ſed quid eſt *Cum ſufficientia*? Alapid. hic: *Sufficientia pro rebus ad vitam neceſſarijs.* Pietas in auxilium pauperum, cum ſufficientia neceſſaria ad vitam, magnum acumulat quæſtum; quippe inveniuntur collocata in cœlo, quæ illis diſperſa in hoc miſero mundo: de quo *Tautolog. 9. Didaſc.* 1. Siccinæ elemoſynæ ex quæſtu commoda magna. Quanta ſine ſufficientia? Dicit Franciſcus, pronus pietate in egenos. Pauperrimus omnia habet, ubi cuncta indigentibus diſtribuit: igitur nec habere voluit pietatem cum ſufficientia, paupeibus conferendo vel ad uſum neceſſaria. Omnex ex pietate percipiunt utiliter quæſtum: alij magnum, alij ſummum. Magnum, ſi pietas ſubſtantiam indigentibus tribuit, & ſibi tantum neceſſaria retinet. Summum & eximium, ſi dat neceſſaria ad uſum: ipſaque paupertas Franciſco pauperi congerit divitias; quoniam in auxilium inopis, inopia gaudens denudatur neceſſarijs. *O paupertas quàm ignotum bonum es!* dicebat Seneca Rhetor, *Controv.* 9. Cognovit Franciſcus, cui magnus ſine ſufficientia quæſtus: equidem omnia ad conferendum habuit, quia nihil ſibi propter pauperes reliquit.

1. Tim.

Hypocritarum intuitus.

Cur renuit ſufficientiã dum tribuebat elemoſynam?

M. Sen.

Mat. 19

5 Occurrit modò, quæ promiſi de Franciſco, *Tom.* 5. *Tautolog.* 5. *D.* 5. *n.* 13. *Reliquimus omnia & ſecuti ſumus te*: dixit Aſſertori N. & confidenter Petrus. Omnia ut te in paupertate ſequeremur, reliquimus. *Omnia*? Utique, cum omnia bona latitent in paupertate, ultra ſufficientiæ communem uſum; divitibus huius ſæculi bonum incognitum: qui quidem ſi cunctorum appeteret poſſeſsionem; ob quæſtum magnum eligerent paupertatem: equidem vel ut Ethnicus ait *lib.* 11. *Epigram.* 33.

Martial

Paupertas veræ quæ voluntaria

Non eſt paupertas Neſtor habere nihil.

Omnia enim habet, qui nihil ſibi retinet: etenim non minus in paupertate, quàm paupertas habetur; in eo qui bonis præ paupertate nudatur. *Paupertas nulli malum eſt, niſi repugnanti*: ſubdinit Senec. *Epiſt.* 123.

Senec.

Unde Plutarch. in *Ariſtid.* inquit: *Paupertatem dedecori eſſe, ſi quis invitus ſit pauper.* Inopes anim ſunt opes: & tantùm divites, qui indivitijs ultro pauperes. *Occurrent* (ait Stoicus *Epiſt.* 74.) *quod genus egeſtatis graviſsimum eſt, in divitijs inopes.* Occurrit Franciſcus ad inopiam non coactus, ſimul in unum dives & pauper, egens & locuples, cum divitiarum copioſiſsima abundantia; quia ſibi nihil habens, ex paupertate electa continet omnia. Manil. lib. 1. *Aſtron.* cap. 1. à v. 80.

Pluth.

Senec.

Quid à Franciſco electa continet omnia.

Et labor ingenium miſeris dedit: & ſua quenque
Advigilare ſibi iuſsit fortuna premendo.
Adducta in vaeias certarunt pectora curas:
Et quæcumque ſagax tentando reperit uſus,
In commune bonum augmentum læta dedere.

Manil.

Hæ ſanè divitiæ ſervatæ à Franciſco paupere: etenim ſine ulla ſufficientia ſolicitante pietatem:

Iam habet unde ſuum paupertas paſcat amorem.

Ovid 1. Remed. v. 353.

Multum auri, multumque argenti nec aſpicere quidem voluit Æmilius: inquit Plutarch. in eo. Econtrà Franciſcus, aſpicit, ſed deſpicit: nihil ex habitis habet: quicquid dives pauper ſuſpicit ad ſufficientiam & uſum; quaſi haudquaquàm neceſſarium, habens ad commune bonum. Laurent. Hæchtan. in *Microcoſm.* Emblem. 22. accinit floridè de fortunis fortunæ.

Pluthar.

Herculeo exultans fortunæ fune ſiniſtram
Pauperies retinet, ſub pedibuſque premit.
Viribus inferior fortuna eſt paupere: pauper
Fortunæ neſcit ſuccubuiſſe dolis.

Hæchr.

Quid ergo Franciſco fortunarum bonum, niſi in pauperum uſum? Totum eminet magnitudine, ſed non illi. *Cogita præter animũ nihil eſſe mirabile. Cui magno, nihil magnum eſt. Mihi crede. Nihil agere videntur: maiora agunt, humana divinaque ſimul tractant.* Ita Senec. *Epiſt.* 8.

Senec.

Ubi ſup.

6 Videor obliviſci paupertatis Petri, & remunerationis Salvatoris. Reliquit omnia in eius ſequela. *Omnia*? Profectò exigua. Quid enim obſecro magni Petrus dedit? *Nonne rete confractum* (exponit Chryſoſt. Hom. 7. in *Epiſt. ad Rom.*) *& calamum & hamum verum? Sed tamen terræ illi univerſæ domus Deus aperuit, & terram & mare expandit, ac nemo non illum in ſuas ædes vocavit; atque adeo omnes bona ſua ad illius pedes deferebant.* Ex modo cognoſcuntur quæ, quantæque divitiæ paupertatis: præ paupertate Petrus habet omnia, ſed ad pedes. Aratoris eſt acumen, qui 1. in *Act. Apoſtol.* canit, à v. 404.

Renunciatio temporaliũ in cuncta imperium.

Chryſ.

Pom-

Arator.

——— Pompa metalli
Ponitur ante pedes,ſacris nō tradita dextris:
Reſtitui debere prabāt,quod tangere vitant,
Calcandumque docent quod ſubdunt greſsibus aurum.

Unde habet, ſi pauper, omnia? Quoniam propter paupertatem reliquit cuncta. Pauper eſt: at cum divitiæ in paupertate ſint; omnia Apoſtolus reliquit, ut pauper omnia per paupertatem haberet. Cuncta Franciſcus reliquit præ paupertate. Quid ergo illi? Retis ex deſpectu emblema, ut colligeret omnia. Deus terræ illi univerſæ domos aperuit, & terram & mare expandit. Nemo non illum in ſuas ædes vocavit. Omnes bona ſua ad pedes deferunt, & ad pedes deponunt. Quid amplius in commendationem divitis? Eius planè totus orbis. Hic eſt pauper? Quia pauperrimus locuples. Mundum latet paupertatis bonum, ubi ſatagit quæſtus: latens cognovit Franciſcus: & ad utilia commoda totius univerſi divitiarum, non ſolùm extendit hamum, ſed hamum verum; quippequàm cuncta ad ſe traxit, dum cuncta præ paupertate reliquit: oſtentans mundo divitias, quas ei peperit voluntaria paupertas.

Curi Franciſci paupertas dicitur rete & verus hamus.

7 Neſcio an huius fulcro virtutis, vel mortuus ſtat in pedes; de quo fusè *Didaſc. præced.* De Gymnoſophiſtis, ait Ambroſ. in eorum hiſtoria, *nudos degere*: Pliniuſque *lib. 7. cap. 2. Philoſophus* (inquit) *quos Gymnoſophiſtas vocant, ab exortu ad occaſum perſtare contuentes Solem immobilibus oculis, ferventibus arenis, toto die alternis pedibus inſiſtere.* Idem Cicero, 5. *Tuſculan. qq.* Strabo, *lib.* 16. & fusè Vives in 15. *Civ. Auguſt.* cap. 17. Gymnoſophiſtæ dicuntur, ideſt, nudi: toto die coram Sole, & ſtare? Altiorem philoſophiam Franciſcus nactus, cùm cunctis mundi opibus ſtat nudus, continuò in Iuſtitiæ Solem, propter quem voluntariam patitur nuditatem: igitur dum illi ſemper erecti coram Sole, & nudi, vitalem habentes halitum; nudus Franciſcus coram Sole ſtat poſt obitum. Noluit oblivíſci vel in morte, ſtudia cœleſtis gymnoſophiſtæ. Ille alius dicebat, ob aſperam ſordidam veſtem, abſconditum eſſe à luminibus Numen.

Ambro. Plin. *Conditio Gymnoſophiſtarum.* *Franciſcus poſt obitum ſtat in pedes, ex virtute paupertatis.*

O utinàm nobis non ruſtica veſtis ineſſet!
Vidiſſem propiùs mea Numina: ſed mihi ſordes,
Pullaque paupertas & adunco fibula morſu
Obſuerunt.

Calph. Eclog. 7. à v. 80.

Erant Numina vana, quibus pauperies odioſa. In Franciſco acuitur luminum acies, ubi comes individuus voluntaria pauperies, cum veſte ruſticà, ac tunica ſordida; cum futili fibula: etenim per electam propter Numen nuditatem, ſtat etiam poſt mortem coram Sole videns Numen.

—— Utcumquè tamen conſpeximus ipſum,
Præſens, ac niſi me decepit viſus, in uno
Et Martis vultus & Appollinis eſſe putavi.

Id Ibid.

8 Ne recedamus à principe articulo, dum præmium ſufficimus pro inſigni merito. Elias à Domino mittitur in Sareptam: eique dicitur: *Præcepi enim ibi mulieri viduæ, ut paſcat te.* Mulieri viduæ ibi? Quantæ profectò ſubſtantiæ? Ipſa dicit: *Non habeo panem.* Quomodò fœmina paſcere quibat, in cuius domo etiam panis deficiebat? Obiter notandum inſigne Religioſis documentum in obedientiæ perfectionem, etiam ſi iubeat Superior rem impoſsibilem; de quo argumento egimus, *Tom. 1. T. 2. D. 5. à n. 9.* Hic exponitur, quod penitus impoſsibile videtur. *Præcepi mulieri viduæ, ut paſcat te.* Paſcere Deus iubet, & huic mulieri? Utique. Ita illius obſervabilis vox: *Ut paſcat te.* Perfecit, quæ panem nec ſibi habet. O virtus mirabilis obedientiæ, in prompto ad præceptum corde! Fœmina moritur: ſed ab illa præceptum exactiſsimè adimpletur, obediente Numini: igitur obediendum quod dictum à Superiore; licèt argumentum præcepti ſit impoſsibile. Quid Profanus?

3. Reg. 17. 9. V. 12. *Obedientiæ Superioris celſitudo ex impoſsibili Superioris præcepto.*

Imperia dura tolle: quid virtus erit?

Senec.

Ait Hercules apud Tragicum, in *Furent.* v. 432. Diſſolvit difficultatem impoſsibilitatis SS. Benedictus, ne excuſetur, nec cauſetur de huiuſmodi coloribus Monachus. *Si aliqua forte gravia, aut impoſsibilia iniunguntur; ſuſcipiat quidem iubentis imperium, cum omni manſuetudine & obedientia*: præcipit *Regul. S.* cap. 68. Manſuetudine obedientiæ, cùm non ſolùm ſit arduum, ſed impoſsibile? Sanè. Sciat *ſibi expedire; & ex charitate* (infit) *confidens de adiutorio Dei, obediat.* Et itaque expedit, & ſtatus perfectioni; quia nihil maius, quàm ſuperare impoſsibile. Imò ſine ullo gravamine ficti laboris in arduitate virtutis; quandoquidem præceptum adimpleat, cùm nihil faciat. Quod fieri nequit, impellitur in impoſsibili facere; & nihil profectò faciet, quod nequit fieri. Eſt virtutis ſummitas & probatio; quippe fingitur labor in præcepto: etenim ſine opere apponitur opus, quia ſufficitur affectus: & ut opus in impoſsibili ſit, planè, voluiſſe ſat eſt.

S. Bene. *Cur impoſsibile poſsibile fieri.*

9 *Quod facis fac*: dicitur Iudæ. Formula elegans & frequens etiam apud Profanos. Virgil. 3. *Æneid.* v. 462. *Vade, age & facta*

Ioann. 13. 27.

ctis. Exempla expoſita à nobis, *Tom. 7. T. 3. D. 7. n. 18. Quod facis, fac.* Implicatorium eſt. Si facit, quid faciendum? Quomodò operabitur factum? Dum fit, quod nequit fieri, quippe impoſsibile facere: & ſit quin fiat, ut voto voluntas quod eſt implebile compleat: igitur ſufficit velle, procul opere, ſi imponitur impoſsibile. Hinc Moyſes dicit Hebræis: *Præcepta ſic facietis, & obſervabitis, & implebitis opere.* Quid opus, ut fiant, cum præcepta ſine opere nequeant impleri? Præcepta in obſervantiam eſſe poſsibilia debent; ut opere impleri poſsint: & dum poſsibilia Legislator deſignat, dicit *Implebitis opere*; quippequàm ſine opere, promptitudine ad opus, adimpletur impoſsibile.

Deuter. 4. à 5. *Voluntate obeditur impoſsibile.*

Pectora pro facto.

Ovid.

Succinit Ovid. 1. *Faſtor.* v. 486. Si impoſsibile fieri, in factum ſufficit velle. Poſsibile ad impoſsibile fecit; & eſt opus ad illud quaſi feciſſet.

Bugnot hic.

Si cui difficilem contingat ferre laborem,
Viribus hoc impar, ſuſcipiatur opus.

Sic honor & non labor, quod quidem obedientiæ virtutem in faſtigium extollit. Cauſam dicit Ieremias: *Quia plus fecit, quàm potuit.* Quomodò ultra poſſe, poteſt aliquid facere? Si in opus imponitur impoſsibile: ſiquidem non poteſt, & facit ubi contendit perficere quod non poteſt. Hoc perfectæ virtutis decus: hoc fortis pectoris virtus; ut Thetidi dicebat Achilles, *lib.* 2. à v. 303.

Ierem. 48. 30.

Paruimus genitrix, quamquàm haud toleranda iubebas.
Paruimus nimium.

Statius.

Nimium eſt, & quia nimium plus glorioſum; equidem apparet, quod impoſsibile factum. Auſuro Numen abeſſe nequit. Quomodo fiet; Fit ſed *adiutorio Dei*: igitur ubi alicui impoſsibile imperat; faciet prorſùs, ut impoſsibile faciat. Liquet in vidua Sareptæ: Hinc Benedictus dicit: *Obediat ex charitate*: equidem pro charitate perficienda; ut poſsibilia ſint quæ impoſsibilia, fient in opus inaudita, miracula.

S. Benedict. d.

10 Haud ſecus, dum Domini præcipientis ſtatim auditur vox. *Præcepi ibi mulieri viduæ, ut paſcat te.* Quo ergo? Puſillo & neceſſario? *Vivit Dominus* (ait) *quia non habeo panem; niſi quantum pugillus capere poteſt farinæ; ut ingrediar & faciam illum mihi & filio meo, ut comedamus & moriamur.* Impoſsibile expoſuit, atque ſe ſibi negans, famelico dedit. *O magnificum mulieris animum* (iurè hìc exclamat Eucherius.) *O immutabile mentis propoſitum, ò verè mirabile per ſæcula factum!* Igitur erit ſemper per ſæcula mirum, tantæ pietatis exemplum; quòd ita faceret in gratiam eſurientis eleemoſynam, ut etiam conferret de neceſſarijs ad vitam. Excelluit fœminæ & in ſummum charitas, ſimulac viſa paupertas; ſine ſufficientia pietatis requirens quæſtum, generosè diſtribuendo, quod neceſſarium ad uſum: igitur elegit præ pietate fame perire; ne pauper periret fame. *Saluti Eliæ pretulit famen, ut in ipſa nocte moritura cum filio, relinqueret ſuperſtitem hoſpitem; malens vitam perdere, quam eleemoſynam.* Ait Hieronym. *Epiſt.* 10. Charitas non quærit ſe, nec quæ ſua ſunt. Ita flammà pietatis exarſit ignitum cor; ut inter propriam mortem & charitatem, videns egentem; elegerit citò mori, modò auxiliaretur inopi. *Erat* (infit Eucherius) *in illo tempore ſpectaculum Angelis & hominibus gratiſsimum.* Omnem vim deſpexit affectus naturalis, oblivíſcens materna viſcera incendio miſerationis: equidem dedit neceſſitate cognità, quæ ſibi & filio ſervabat ut neceſſaria. Ita ſibi conſuluit in paupere.

Ubi ſup. Verſ. 12 & 13. Eucher. *Elevat charitatis flammam dan: quæ ſibi neceſſaria ad vitam.* Hieronym. Eucher.

Exiguam in Cererem penuria adegit edēdi.

Virgil. 7 Æneid. v. 113.

11 Meritò Franciſcus præ ſe fertur totius orbis ſpectaculum, dum charitatis ſervat immutabile propoſitum: ſiquidem ſæpe eſurijt, ne pauper aut egenus eſuriret. Accipiebat eleemoſynam; quippe egebat. Nihil panis aderat, niſi quantum pugillus capere poterat. Si daret, fama periret. Cæterùm ſe, mortiſque periculum præ charitate deſpexit: quandoquidem eſuriens propter eius vehementiſsimam flammam; inopibus dedit quæ erant neceſſaria ad vitam. Hinc illud: *Elegi te in camino paupertatis.* Vatabl. *In fornace inopiæ.* Quænam ergo fornax paupertatis, aut quid cum paupertate fornax & ignis? Eſt inter paupertatem, & paupertatis fornacem ſpectabili diſcrimen; quippe non ſæpe coëunt & charitas & paupertas. Paupertas eſt, dum nil ſuperfluum, ſed ad vitam neceſſarium habetur. Fornax verò paupertatis, ubi pauperibus quod unicuique neceſſarium, diſtribuitur: elegiturque Franciſcus in fornace paupertatis nimis ardente (cùm non aliter viveret, niſi in extrema, miſerà paupertate) quia in illo oſculatæ ſunt & charitas & paupertas: ſiquidem leviter ſentiens pauperum neceſsitatem, cedebat illis quæ habebat ad vitæ conſervationem. Sed contigit illi, quæ viduæ Sareptæ. *Hydria farinæ non deficiet*, &c. Continuatur miraculum in notabilius prodigium. Placuit ſummè Numini ſiccine eleemoſyna, & venerunt omnia bona pariter

Tribuit Franciſcus in uſū pauperū, ſibi neceſſaria ad uſum. Iſai. 48. 10. *Cur eius charitas dicitur fornax.* Verſ. 14. *Quæ paupertatis cauſa.*

ter cum illa : igitur quia pauper ſibi neceſſaria pauperibus dedit; obtinuit, quod eius domibus nihil & numquàm deficeret. *Non auferet à iuſto oculos ſuos ::: etſi fuerint in catenis, & vinciantur funibus paupertatis.*

Job. 38. 8.

Quænam paupertatis catenæ & funes? Franciſci divitiæ, ob eius præſtantiam eleemoſynæ. Omnia confert, omnia habet, nihil in domibus deficit. Unde? Sunt paupertatis catenæ : etenim cùm pauper etiam quæ ad uſum neceſſarium retinet, & ſingulari charitate diſtribuit; totum orbem ceu funibus ad ſe traxit. Omnia traxit ad ſeipſum, propter continuum ex paupertate miraculum : univerſis in univerſo ſuccurrit, & ecce totus mundus poſt eum abit. Verè dicere quibat : *Tuliſtis & omnia quæ habeo.* Quomodò Seraphice habes? Si præter nihil, nil plus; *Quid tibi eſt*? Omnia, quæ pauperibus diſtributa : habet in quæſtum pretioſum, quæque pauperes tulerunt.

Jud. 18. 24.

12 Creſcit paupertatis fornax, quoniam mirabiliora operatur paupertas. Mirabiliora? Imò impoſsibilia. Succenſa erat cordis *fornax ſeptuplum, quàm ſuccendi conſueverat.* Paupertas Franciſci ſibi neceſſaria pauperibus tribuit : accenſa ut fornax ſeptuplum, etiam tribuit quod non habet. *Altiſsima paupertas abundavit in divitias* : inquit Paulus. Alapid. *Abundantiam eleemoſynæ : q. d. Copioſiſsimè ſua elargiti ſunt, cum eſſent pauperes.* Hæc altiſsima paupertas. *Nobiliſsima & præconijs extollenda* : ſubdit Anſelmus, Haud ſecùs Franciſci fecerat charitas, cùm eum comitaretur nobiliſsima paupertas : igitur quæ ad uſum ſibi tribuit, vel cum pauperrimus eſſet. Obtinuit potiora, ubi fornax paupertatis accenſa; quippe paupertas altiſsima, cum ſingulari divitiarum abundantia : igitur ſi in paupertate copioſiſsimè dabat; accensà cordis fornace, contulit, quod non habebat. Adivis Uvadign. *Ann.* 1228. n. 74. Hoc portento, atque ſuccenſæ charitatis ſigno; præmittit ibid. Paulus : *Notam fecimus vobis gratiam Dei, quæ data eſt*: equidem haud cogitari valet gratia maior; quàm dare quod non habetur. Subit mentem & dulciter, prodigium de compatriota meo, Franciſci filio, ac in paupertate æmulo, S. Petro Regalato.

Dan. 3. 19.
2. Cor. 8 2.
Alapid.
Anſelm
Quæ Frā ciſci altiſſima charitas?
V. 1.

13 Prætermitto panem in roſas mutatum; quippe eius promptuarium eructat ex hoc in illud: de quo Bagatt. Tom. 1. de *Admirand. Orb. Chriſtian.* lib. 4. cap. 2. §. 4. n. 9. & Uvading. *Ann.* 1448. n. 17. qui addit, *Ann.* 1456. Pauperem, quem in vita fovere benignè ſolebat, vacuum ab Oſtiario miſſum; quippe, cum ſerò veniſſet, nihil conceſſa eleemoſyna, ſupererat erogandum. Tacuit, ſed Petrum mortuum adivit, dicens : *Mihi tecum benè ſemper erat : fame pereo, modò non eſt qui reſpiciat. Mira res! Auditā querelà vir Sanctus è ſarcophago brachium exeruit, panemque porrexit.* Unde habuit? Accenſa eſt fornax paupertatis, & viſa eſt gratia altiſsima collata mortuis: quandoquidem Petrus vel in ipſa morte, *manum ſuam aperuit inopi.* Minimè eſt in paupertate infirmata virtus, nec clauſum poſt mortem pietatis pectus : igitur mendicum vel in ſepulchro cognovit; & quam mors concluſerat, in gratiam manum aperuit. Quid pius non cogitaret in gratiam, vir ad pauperem videns paupertatem ſuam? Habebat manum aridam : ſed ut vidit in templo egenum, ſtatim extendit manum. *Manus eius dextra erat arida*: ſed mira Petro in ſepulchro gratia ad gratiam eſt conceſſa : ſiquidem immobilis habuit ad pauperem motum, ubi ad illum extendit aridam manum. Eſt *Abundans paupertate*: igitur egenti miraculosè dabat, que non habebat.

Petrus Regalatus panē mutat in roſas.
Uvadin
Pro. 31. 20.
Panem inopi porrigit in ſepulchro
Luc. 6. 6
Eccl. 11 12.

Semper erìs pauper, ſi pauper es.

Martial

Dicit Martialis, lib. 5. *Epigram.* 82. Mentitur apertè. Petrus abundat in paupertate. Quænam amplior abundantia, ſi manet in morte vità? Egenus enim ex motu non repulit ipſa mors. Liquet, unde emuntur panes, ut manducet hi.

15 Aliud portentum, huiuſmodi inſignis vel poſt mortem charitatis ſignat caminum. A præfato Bagata, *Tom.* 2. *d. lib.* 6. *cap.* 3. §. 4. *n.* 53. Chronic. & *Minor.* p. 3. lib. 3. cap. 61. dicitur. *Cùm à corpore Beati Petri, quod adhuc integrum conſervatur, iuſſu Eliſabethæ Catholicæ Reginæ quatuor digiti reciſi fuiſſent; ſanguis vividus & rubicundus quaſi viveret, mirabiliter exivit.* Manus nonne arida in ſepulchro? Unde ergo ſanguis in manu? Ex fornace charitatis in egentes : etenim ita motus in elevandam pauperiem; ut dederit etiam ſanguinem. Sanguis aridæ manui repugnat, in ſiccitate cadaveris implicat. Corpus ergo tunc non habet : & Petri cadaver quaſi viveret effudit; ut indicaret paupertas, quid erga egentes faceret accenſa charitas : igitur non ſolum in vita, quæ habebat in vitam dabat; ſed poſt mortem præſtabat, quæ non habebat.

Bagatt.
Sanguis è cadavere effluit Ex ſingulariſſima charitas.

——— *Hæc ianua credita Petro:*
Materiemq́ operis ſola eſt largita voluntas.

Arat. 1. Act. á v. 281.

15 Patet in Petro & Franciſco nota, quæ à Paulo dicitur altiſsima paupertatis gratià, utriuſque propria; quippe alijs dumtaxat præcepta, ſecundum habita. Innuit Apoſtolus. *Si enim voluntas prompta eſt* (inſit) *ſecundum id quod habet accepta eſt: non ſecundum id quod non habet.* Q. d. ſubdit Theophilactus, v. 13. *Ut dent ſupra vires.* Quò non pervenit fornax paupertatis, ſupra vires eleemoſyna largità; ut conſtet altiſsima, nobiliſsima gratia? Igitur utriuſque voluntas prompta non ſolum ſecundum id quod ad uſum paupertas retinet; ſed etiam ſecundum id quod non habet: quippequàm uti divites præ paupertate, habent ut dent quod non poſsident, poſsibili impoſsibili eleemoſynà; cùm ſibi ad vitam nec habuerint neceſſaria. Indicavit Franciſci nativitas, quòd cum illo etiam nata paupertas. Non illum valuit genitrix parere, niſi in præſepi. Dolor in articulo ceſſat, ubi in lucem pueri mater ſtabulum ſignat. Genethliacum præmittitur Seraphici genij cum ipſo crevit paupertas ab ipſa nativitate. *Per Angelum peregrini ſpecie* (ait Marchantius in *Horto Paſtor.* & Bonifac. Bagat. d. *Tom.* 2. *lib.* 1. *cap.* 1. *n.* 17.) *matri prægnanti pronunciata fuit; dum illi à partu cruciatæ indicat, non fore liberam à cruciatu, niſi in ſtabulum deferatur, & ibi pariat.* Expreſsit utique ab ortu, quòd ipſe mirificè Salvatoris imago. *Luc.* 2. 7.

Quę habebat dabat, & quę habere nequibat.
2. Cor. 8. 12.
Theoph
Franciſcus haud potuit naſci, niſi in pręſepi.
Marchh.

16 *Qui gloriatur in paupertate* (ait Siracides) *quanto magis in ſubſtantia*? Haud ulla diſcriminatio. Totum ſimul in Franciſco. Abundat pauper divitijs, quippe opes eius à ſubſtantia paupertatis. *Paupertatem prædivitem* vocat Bonavent. d. cap. 15. etenim Numen ad auxilium pauperum conſtituit hæredem univerſorum. *Eſt dives cùm nihil habeat.* Iurè in paupertate donatur, per quam cuncta bona aſſequitur: igitur eximia nominis claritas, cuius vel dives paupertas. Benedictus ut frater maior opulentia nutricavit, nutrivit, in domum ſuſcepit, eius ſtatus perfectionem curavit, & ut minori in alimenta contribuit. Ad huiuſmodi fratris maioris conatus, quid Franciſcus? Reflectemus ſententiam ex Ovveno, *lib.* 7. *Epigram.* 83.

Eccli. 10. 34.
Bonav.
Prov. 13. 7.

Sum fateor, nec dolet, Minorum ex ordine fratrum:
Frater opes patrias & bona maior habet.

Ovven.

*** *** ***

DIDASCALIA V.

S. Doctor Hieronymus virtutum decus.

1 QUid non erga ſanctitatem, cuius inſigne nominis, ſacrum nomen? Quæque diviſa beatos efficiunt, collecta tenet,

Menſuram nominis implet.

Ov. Faſt.

Eius elucet prærogativa chariſmatum nitore gratiæ; quem Deus cognovit ex nomine : igitur quæ ab illo præclarè geſta, in magnum ac ſacrum nomen itura. *Hic eſt Patritius, ſatis iam vocabulis honoratus* (ait Caſsiodor. 10. *Variar.* Epiſt. 7.) *nam perpetuà fruitur laude, cui eſt honor in ipſo nomine : cuius affluentem facundiam ſtudia Romana genuerunt, oſtentans meritò de loci dignitate peritiam. Ibi defecatus ſermo Latinus eſt : Ibi diſeuntur verba toto nitore lucentia. Româ traditur eloquium, quo ſuavius nil ſit auditum. Sic bonis artibus erudito contulimus dignitatem; ut qui eſt clarus nomine, magnificus etiam ſit honore.* Hieronymum definit, quem Brietius meritò plaudit *Doctorem eximium, orbis lumen, & totius mundi ſplendorem.* Ita *Ann.* Chriſt. 372. Eraſmus in eo: *Vir omni præconio maior; & quem cuncta ſuſpirent ſæcula.* Apud univerſos inveniuntur de illo magna, ſed exigua quia laudem excedunt merita. Nonnumquàm honores reſponderunt meritorum dignitati; quia dignitas meritorum reſpondit nomini. Utcumquè maximus, inclytus,

Gratià & nomine ſacer.
Caſsiod.
Flos eloquentiæ, & Doctor Maximus.
Briet.
Eraſm.

——— *Qui nomen claris virtutibus æquat.*

Ovid. 2. de Pont. 3. v. 1.

2 Ut aliquid de eius virtutibus dicam, elinguis fio per mirabilem copiam. Chariſmata, gratiæque præclara cœlitùs dona

Luctantur, pectuſque leve in contraria ducunt.

Id. 3. Am. 10. v. 33.

Si Didaſcalia Maximo dicatur Doctori, cauſa noteſcet per effectus ſapientiæ. *Sapientia* (dicitur) *iuſtum deduxit per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei, & dedit illi ſcientiam Sanctorum, honeſtavit illum in laboribus, & complevit labores illius.* Elucent opera & præmia : quinque ſcilicet talenta Hieronymo in meritum tradita, & in exercitium credita; ſed ſubliniùs munerata. Cùm famà eruditionis altiſsimæque ſcientiæ floreret (cæcus corpore, ſed obcæcatus mente, quia Origeniſta) Didymus Alexandrinus; ad eum perrexit aviditate

Sapient. 10. 10.
Uſus illius ſapientiæ.

doctrinæ illectus Hieronymus. Ipſe refert, 1. *Apolog. in Ruffin.* in princip. Sed quid? Dicit *Epiſt.* 65. *Miro diſcendi ferebar amore. Audivi Dirymum. In multis ei gratias ago : quod neſcivi, didici : quod ſciebam, illo doctore non perdidi. Venenata ſunt illius drgmata, aliena à Scripturis ſanctis, vim Scripturis facientia.* Ita in illo inerat diſcendi aviditas ; ſed iuſtum deduxit Sapientia per vias rectas : igitur ita animum boni ac mali informavit diſcretione ; ut Samſonis inſtar, aquam ſapientiæ hauriret de maxilla aſini.

Hieron.

Iudich. 15. 19.

3 De nullo alio aptiùs quàm de Hieronymo dici valet, illud Siracidis, infuſione veri luminis ; quòd *Deus aqua ſapientiæ ſalutaris potabit illum : & firmabitur in illo, & non flectetur : continebit illum, & non confundetur, & exaltabit illum apud proximus ſuos.* Haud cathedræ Didymi vernantis floſculis Hieronymus appropinquat; ut ſentes, ſed ut lilia colligat: equidem hauriret ſtultæ ſapientiæ flumen, deguſtans aquam ; cæterùn non ſalutarent : Deuſque aquà ſapientiæ ſalutaris potavit, ubi in vias rectas veræ ſapientiæ deduxit ; quoniam quin comitem magiſtri guſtaret errorem, didicit & obſervavit dogmatum Theologorum rectitudinem. Hinc expoſita Panacea cum lemmate : *Sapientia & Salus*, apud Solorzan. *Embl.* 21. & Mendo, in *Princip. perfect.* Symb. 19. Malum ſanequàm ſtudijs vel ſubtilioribus omen ; ſi ſapientia non tendit in intellectus ſalutem : equidem colore ſapientiæ, virulenta doctrina; virus erit non ſapientia : induſtriuſque Hieronymus, videns in floribus latens virus; ut olim Iſraël exivit ex Ægypto locuples auro, ſed ſine erroris totius provinciæ veneno. *Scientia Sanctorum prudentia.* Iccircò in capite Sacerdotum Ægyptiorum collocabantur aſpides, ut inſignia diſcretionis. Pier. Valer. *lib.* 14. *cap.* 16. & crebrò Kircher in *Tabul. Bembin.* Habent aſpides oculos in temporibus, ſitu prudentiæ, ſicut cerebrum ſignatur ſitus doctrinæ : collocanturque aſpides in capite ; quia ſapientia vera in diſcretione ſapientiæ. Iuſtis datur intellectus, ut vivant ; cùm doctrinà ſanà dumtaxàt intelligant. Ex veneno non eſt ſalus : vitæ ingeritur morbus, quia infirmatur intellectus. *Una re conſummatus eſt animus : ſcientiâ bonorum ac malorum immutabili ; dum ſingulas habet circuire virtutes. Aliter, apparet, nihil horum eſſe in illo, quia omnia ſunt* : inquit Senec. *Epiſt.* 88. Cuncta acquiſivit ſagax Hieronymus, ubi uti ſapientiæ oraculum auditur Didymus, ingenio virtuteque conſummatus, in doctrina cum prudentia: etenim in plauſibili Didymi cathedra, ſcivit reprobare malum & eligere bonum.

Eccli. 15. à 3.

Vnde in ſchola erroris, eius ſapientia ſalutaris?

Solorz.

Prov. 9. 10.

Senec.

4 Plura in pluribus alliciebant animum, ut pravæ doctrinæ iuſtus præberet aſſenſum. Ille quid dum audit ? Diſcit & dediſcit : imò dum loquitur ſerpens, factus eſt ſicut homo non audiens *Originiſtes numquam fuit.* Idem ibid. Propter plauſum impellitur in falſitatis ſcholam: at cùm à ſapientia duceretur in viam rectam ; ad errores ſapientiæ fucis ſplendentis, nec in minimo flectitur : imò magis ac magis doctrinæ ſanæ firmatur : quippe fides continuit, falſam docentis expellens fidem ; ne ex erroribus ſapientia exhauriret confuſionem. Proximi urgebant illum titulo plauſus ; ſed ſapientia exaltavit eum apud proximos ſuos: igitur vel apud illos dubia fide, dignus exaltatione ; qui ex virulenta doctrina (in peſtilentiæ cathedrà) propter ſapientiæ veracis ſtudium, ſuxit è fonte ſapientiam & non venenum. Quid mirum, ſi in Eccleſia plaudatur Doctor, ubi ab illo perſpicuò in ſapientia ſapientiæ noſcitur error ? *Si ſeparaveris pretioſum à vili, quaſi os meum eris : convertentur ipſi ad te, & tu non converteris ad eos.* Sanctius hìc n. 70. & in *Paraphraſ.* exponit : *Si delectum habueris inter falſos & veros, & ſeparaveris te à nugatoribus, accipiens oracula, conſiliorum conſcius, & Interpres.* Idem Maldonat. ac pleniſsimè in propoſitum Gregor. Magn. 18. *Moral.* cap. 20. & 33. cap. 16. *Pretioſum à vili ſeparat* (inquit) *qui humanas mentes à reproba antiqui hoſtis imitatione disiungit : rectè os Dei dicitur, quia per eum proculdubiò eloquia divina formantur : & quia teſtamenti novi Doctores ad hoc uſque perducti ſunt.* Hæterodoxum cathagetam Hieronymus ut præceptorem audivit, verùm fermentum cognovit ; quamvis illa dogmata plauſa, & à toto Oriente accepta, ita ut nihil ſaperet, qui cum illo non deſiperet. Erat ſal infatuatum, ſal ſine ſale in ſapientia deſipiente, qua illuminans mentem, cæcus cæcos ſeducebat in errorem. Si ſal evanuerit, in quo ſalietur? In doctrina Hieronymi. Separavit enim pretioſum à vili; uti novi teſtamenti congruebat Doctori, ſeiungens pretioſitatem catholicæ veritatis, à vilitate atque utilitate dogmatis. Unde cùm à vera fide ſecreverit pernicioſum ; in Eccleſia Deus elevavit uti oraculum. Interpres, conſcius conſiliorum cœleſtium, eximiè enituit expoſitione ſacrarum Scripturarum; diſtinguens falſos & veros ſapientes, ut fidem rectam miniſtraret Catholicis. Se-

Hieron.

Eius ſapientia unde pretioſa?

Ies. 15. 19.

Sanct.

Gr. Mag

Cur Doctor Maximum, & etiam in oraculum conſtitutus?

pa-

paravit à vili quod pretioſum : cuius delectu meruit in Eccleſia Doctoratum ; quoniam ſæpe tacta in Didymo pice doctrinæ nigerrimà, numquàm Hieronymus eſt inquinatus ab illa.

5 Tota Didymi ſchola in procinctu fuit, ut abduceret diſcipulos poſt ſe (Adi Euſebium Cremonenſem, *Epiſt. ad Damaſ.* & Cyrill. ad Auguſtin.) miſcens in doctrinis vilia & pretioſa pro illecebra ; ſed vehementius pravitatis ſtudium, ut illectum ſplendore ſapientiæ aucuparetur Hieronymum. Minimè putuit, quippe à vili pretioſum ſeparavit ; factus divinum oraculum, ſana doctrina & ſplendore radiorum : equidem illum convertere non valuerunt in errorem; & ille ut Doctor Eccleſiæ cæcos convertit ad lucen. *Magnus certè* (ait Auguſt. *Epiſt.* ad Cyrill.) *in vitæ excellentiſsimæ ſanctitate : magnus in maioris gloriæ quantitate : magnus in ſapientiæ ineffabilis profunditate.* Iurè ſapientiæ Hieronymi deſignatur profunditas, ſi in floſculis ſerpens latitans: igitur virus latuiſſet, ni lumen eius in profundum penetraret : converſà in lucem pravitate cordium ; quippe illuminavit radijs abſcondita tenebrarum. *Homo ſanctus in ſapientia mane ſicut Sol, nam ſtultus ſicut Luna mutatur* Schola Orientis, moderatore Didymo, fulgebat ſed ſicut Luna ; quippe in ipſo fulgore deficiebat, quærens faſtu mutuatam ampliorem lucem, per dogmatum mutationem : in quorum curſu, accedente Sole, neceſſarium fuit deficere ; quoniam eius fidei catholicæ claritas deducta per vias rectas : & dum errantes ad ſe convertit, nequaquàm convertitur ; quippe ut Sol in ſapientia non flectitur, ſed firmatur. Sol ad Lunam vultum haudquaquàm convertit : Luna Solem pro ſplendore requirit : ſcholaque prava confertur aptè deficienti Lunæ, Hieronymique ſapientia fulgenti Soli ; quippe ſimul ac viſa uti in Sole fidei Catholicæ lux, errantes ad inſtar Lunæ captos convertit ad ſe : niditiſque invincilibus radijs.

Non flexus, flexit in lucē obcæcatos.

Auguſt.

Eccli. 27. 11.

Quare Soli confertur?

Cœlica mortales armat ſapientia mentes.

Quintian.

6 Cauſam indicat Stoicus. *Tandiù diſcendum, quandiu neſcias* (inquit *Epiſt.* 76.) *Mutationis periculum effugit ſapientia. Sapientia non eripitur, ſapientia in ſtultitiam non mutatur. Alia cum videntur attollere, inflant ; & multâ vanitate deludunt.* Accedit Hieronymus ut diſcat à ſapientie doctrinam, ſed non didicit à ſapiente ſapientiam; ne ſapientia tranſiret in ſtultitiam : quæ quidem inflatos deludit, ubi uti inflatos attollit, ſed præcipiat dum elevat. Vera ſapientia eſt doctrina catholica; quam eripere Didymus ſatagebat per dogmata falſa : verùm à voto fruſtratur, quia ſapientia non eripitur : equidem vere ſapiens magis firmavit fidem ; dum in ſchola ſapientiæ vidit ſapientis errorem. *Dedit* Hieronymus *cor ſuum, ut ſciret prudentiam, atque doctrinam, erroreſque & ſtultitiam.* Prudentia valuit, ut in doctrina periculum effugere poſſet : igitur invenit varijs erroribus ſtultitiam ; quam cogitaverat in ſapiente ſapientiam. *Neſcire quædam, inter virtutes reponi ſolet* : inquit Pier. Valerian. *lib.* 58. *cap.* 36. Virtus eximia Hieronymi, in ſchola inſidiatrice aberrantis ſapientiæ : etenim audiens, per huiuſmodi ſtudium, ſtultiſsimus factus omnium virorum. *Si vis ſcire an velim* (ſubdit Stoicus, 2. *Beneſic.* cap. 18.) *effice, ut poſsim nolle. Venenum aliquando pro remedio fuit.* Eluxit inter ſtultitiam Didymi, atque ſapientiam Hieronymi : quippequàm vulneri mentis præſens alexipharmacum ; inter ſapientiæ botros cognoviſſe venenum. Prudent. in *Cathemer.* Hymn. 2. v. 411. appoſitè modulatur.

Senec.

Eccleſ. 1. 17.

Pier. Valer.

Quomodo inſcius doctus, factus ſtultus?

Senec.

Tractibus angu's inexplicitis
Virus inerme piger evomuit,
Grammine concolor in viridi.

Prudēt.

Sub apparente luce Hieronymus non luit, ſed ſerpens crepuit : equidem cùm in magiſtro videret boni ac mali fermentum, dereliquit tamquàm lignum.

Geneſ. 2. 9.

7 Tunc in Eccleſia quaſi in paradiſo iuxta colubrum Didymi, erat *lignum ſcientiæ boni & mali.* Scientiæ & lignum ? Cur non arbor, ſed lignum nominatum? Nonne ab illa fructus pleniſsimæ ſcientiæ ? Sanèquàm, ſed boni & mali. Perproprium emblema, ut Didymi noſceretur ſchola. Inter ea quæ ſapienter ac catholicè docuit ; hæterodoxa perſmicuit : bona à fide, mala ab errore. Utrumque in eius doctrina, ex qua non vera ſapientia, ſed celebrata ſtultitia. In bonum veræ ſapientiæ, aviditas pellicebatur Hieronymi, ut per ſapientiæ ſtudium, fructum nanciſceretur ſapientium, illuſtratà mente ſapientiæ illuminatione: at inventà erroribus ſtultitia, fucatà ac pravà ſapientia; magiſter arbor ſcientiæ deſcribitur tamquàm lignum, quia fauctibus in diſcipulos ferebat bonum & malum. Eadem fuit in paradiſo, ac in Calvario (ut rentur plures Rabbini, apud Galatin. *lib.* 6. cap. ultim.) & dicitur arbor pulchra ; in qua fixa divina Sapientia, atque cœleſtis magiſtri floridiſsima cathedra. Videntur variari in articulo epitheta. Calvari lignum, non arbor : pa-

Quare divinæ ſapientiæ dereliquit ut ſtipitem?

ra-

radiſi arbor, non lignum. Unde utriuſque mutabilitas? Inter arbores, ex fructibus earum cognoſcetis eas. In paradiſo ex arbore ſcientiæ emanavit error: in calvario fulſit veritatis honor: & quod arbor lignum, & lignum dicitur arbor; quoniam non arbor, ſed lignum fatale doctor, cuius ſcientia, qua extollunt uti ſapientem, non procedit in ſcientiam, ſed in errorem. Illa ibi arbor homines ſeparavit à Deo: lignum averſos conciliavit in calvario; hìcque ſignamus ſapientiæ fontem, dum ibi ſcientiam demonſtramus ſtipitem; quippe ſtipes & non ſapiens qui adimit à luce lucem, dum in ſtipite ſcientia, clariorem luce, exponebat veritatem. Sequebantur pridem erroris diſcipuli in bono malum, quoniam ex arboris fructu obſcuratum habebant intellectum; cæterùm fugerunt, ubi Hieronymus Doctorem monſtravit lignum, fructificans in ſcientiam & ſtultitiam. Unde cum in ipſo ſolo veram vidiſſent ſapientiam; amotà averſione cordium, omnia traxit ad ſeipſum.

Plutarch.

Ab eo furatus eſt Hieronymus auream meſſem.

8 Alibi dixi ex Plutarcho in *Demetrio Poliorcete*. Antigonum ſomniaſſe, *ſibi ſpatioſum campum auri ramentis ſerere inde auream primùm ſuccreſcere ſegetem: paulo pòſt ſe cum revertiſſet, nihil eo præter ſtipulas offendere: quod cum graviſsimè doleret; cuiuſdam vocem audiſſe, Mithridatem, aurea demeſſa ſegete, fugiſſe, qui diceret.* Antigoni ſomnium comprehendit Didymus. Alexandriæ ſeminabat cæcus ſegetem auream expectans meſſem ubi auditoribus implebat ſcholam. Inter ſelecta fidei catholicæ ſemina, uti cæcus miſcebat etiam zyzania. Auream meſſem ſperavit; ſed ſtipulas invenit; quas Hieronymus reliquerat; quippe cum aurea ſapientiæ ſupellectili iam fugerat, fungens Oraculi dignitate; quia ſeparaverat pretioſum à vili cunctos docens, & ad veritatem trahens, agnoſcentes Didymum uti cæcum, & ad veram ſapientiam in ſapientia vaſtum lignum. Sic ampliſsimè Hieronymi ſapientiæ fulgebat lux; quæ etiam ei *oſtendit* in honorem *regnum Dei*. Quodnam regnum? *Doctores Eccleſiæ intelliguntur*: inquit Auguſtin. de *Tempor.* ſerm. 79. At Bernard. de *Diverſ.* ſerm. 21. n. 2. *Huiuſmodi ſcientia, cruciari.* Iungit quæ videntur extrema Briet. quò ſupr. *Monachus, & Doctor.* Erat Hieronymus *Lucerna ardens & lucens.* Ut Doctor luxit, ut Monachus arſit. *Eſt enim tantùm lucere vanum; tantum ardere, parum: ardere & lucere perfectum*: infit Bernard. ſerm. de *Baptiſt.* n. 3. continetque ſpectabilis lucerna ardorem & lucem; ut oſtenderet Monachi & Doctoris perfectionem: numquàm clariùs illi eſt oſtenſum regnum Dei, quàm ubi crebris ictibus lapide tundebat cor.

Ubi ſup.

Auguſt.

Bernard

Ioan. 5. 35.

Bernard

9 Cum Samuele Hieronymum confert Auguſtinus, quò dudùm. Obſervemus ex Samuelis articulo, quomodò regnum Dei eſt demonſtratum Hieronymo. *Venit Dominus & ſtetit, & vocavit; ſicut vocaverat ſecundò; Samuel, Samuel.* Hebr. *Venit Dominus & vocavit, & ſtare ſe fecit, ſecundùm ictum in ictu.* Maluend. *Ideſt, aſtitit illi: hoc eſt apparuit in quadam externa forma, pulchra & ſplendida.* Iam elucet, quomodò oſtendatur regnum Dei: ſed mirum quòd in ictum & ex ictu eius percipiatur lux. Non eſſe diſſonum, quod altiſsimæ providentiæ connexum: igitur nil præſtans magis, ut regni cœleſtis deorsùm percipiatur radius; quam ad corpus domandum ictus & ictus. Hieronymus ænigmata exponet, quæ ſcripſit dirè in carnis philuris verber. *Quot tribulationes, dolores, afflictiones* (ſubdit Euſebius) *cruciatus, agones, flagella, fames, ſites, amaritudines, tempeſtates, tentationes, abſtinentias, vigilias, macerationes, nuditates, ieiunia, ærumnas in ſuo glorioſiſsimo perpeſſus eſt corpore?* Ita corpus ſummè afflictum, & ſignat cum cruciatibus glorioſum? Addidit ictum ad ictum: & particeps factus viſionis cœleſtis, crebris tunſionibus corporis. Scientia eius uti Doctoris maximi micabat ex libro Monachi, qui ut ſe iuxta profeſsionem gerat; mortificationem Ieſu etiam in corpore portat: aſtruitque Dei præſentiam per ſucceſsivam corporis diſciplinam; quoniam per carnis voluntarium cruciamen, nanciſcitur Dei viſionem. Videtur delicatis, in ingreſſum, cœlum aperiri delicijs. Hieronymo videtur aperiri flagellis: glorioſiſsimumque dicitur corpus, ubi in ulcera accreſcunt ictus & ictus; quoniam reformatur corpus deformatum flagellis, ut configuretur corpori claritatis.

1. Reg. 3. 10.

Hebr.

Maluēd.

Mortificatione carnis aparet gloria cæleſtis.

Euſeb.

Hieronymi caro flagellis deformata, magis glorioſa.

10 Ulteriùs. *Venit Dominus, vocavit, & ſtare ſe fecit, ſecundum ictum in ictu.* Secundum multitudinem dolorum pectoris, reſpondebant ictibus ſuper ictus conſolationes: & non ſolùm Dominus venit, & vocavit; ſed ipſe coràm ſtetit, apparens ſplendidà, pulchra formà in ſolatium, iuxta ictus ſuper ictus flagellorum; Hieronymo tundente lapide pectus, ut in tantam maieſtatem eſſet introitus. Ducebatur dulcedine vocationis, plenèque cupiebat potiri ſplendore lucis; quam nec viderat, tametſi in pectore continebat; additque vulnus ſuper vulnus, ubi ictu ſuper ictus rumpitur pectus; ut fracta teſta crebris ictibus doloris, in viſionem exiret ſplendor lampadis. *Appropinquantem cernabat Sponſum; & innumeris Angelorum agminibus, ac Sanctorum choris ad ſe iam tendere conſpiciebat* infit Eraſm. d. Clauſa erat ianua, quandiù degebat in hac miſera vita. Sentiebat Dominum vocantem, ſatagebat illuſtratione præſentem; ut ille in cœlum exiret, cum Chriſtus intrare poſſet. Eſt ingenioſus amor, maximè cùm induſtriam moliatur dolor: igitur pectus Hieronymi ictibus ſuper ictus tunditur lapide; ut tot ianuis apertis tota gloria poſsit ingredi: ſimulque vulneratus perfrui cœleſti gloria, cuius ſpecies micabat formà ſplendidè pulcherrimà; quippequàm

Cur pectus lapide tunditi.

Eraſm.

Hac itur ad aſtra.
Ipſa fecit ad Superos iter.

Senec. in *Furent.* verſ. 19-40.

11 Modò eorum elucet concordia, quæ videbantur ex facultatibus diſsita. *Nemo* (ſubdit Euſebius) *acriùs pœnitentiam egit.* Auguſtinus verò, d. *Quæ Hieronymus ignoravit in naturà humanà, nullus hominum unquàm ſcivit.* Quorsùm hæccine? In excellentiorem commendationem Hieronymi. Erat eius ſcientia in utraque facultate: moderabatur cathedram Doctoris & Monachi. Monachi, in inſtituti regularius ſtudium. Doctoris, ut alios erudiret ſicut ſemetipſum: igitur adinſtar Chriſti in cruce miris officijs, habuit munus docentis & patientis. Mercurius apud Ethnicos plauſus ut Maximus Doctor, quia litterarum inventor: & ut indicarent perfectam Doctoris formam, eius in manu collocarunt regulam. Refert Kircher. Tom. 3. *Oedip. Copti*: Syntagm. 2. in Proluſ. cap. 3. Niſi ad regulam litteræ nec habent formam: utrumque itaque profitetur Hieronymus; ut ſplendeat Doctor Maximus: igitur glorioſè Doctoris fungitur munere; verum cum regula Monachi. Ingenioſius, in eius vitæ regularis methodum, aliud ab eodem proponitur Symbolum, de quo hìc *Tautolog.* 7. *D.* 2. *n.* 10. ubi coram oculis diſcentis præ ſe fertur & liber & aratrum; cum epigraphe: *Et Hoc, & hoc.* Studium promitur legis, manumque laboris; dicit idem. Labor manuum ſtudium Monachi eſt: liber Doctoris profectò lux. In utriuſque operationis ſpecimen, qui addit ſcientiam, addit & laborem: etenim nobilius Hieronymi ſtudium, habere doctoratum, & eſſe Monachum; cum ad vitam diſcipulus regulam diſcit, & ut Doctor eximius cæteros docet. Liber eligitur, ut doctor litteris fulgeat: aratrum, ut rationalis terra abundantes & opimos fructus ferat. Per aratrum ſignatur mortificatio: per librum proficua lectio, à qua ſplendor doctrinæ fit: & in Doctore Maximo neceſſarium hoc & hoc; quippequàm eius munus Doctor & Monachus: etenim cum aratro ut Monachus ſe verberibus premebat: cum libro uti Doctor Maximus, errantes illuminabat: prius enim ſentes carnis, aratro mortificacionis à ſe ſolicitè evulſit: quàm tot libris uti Doctor illuminatus doceret.

Euſeb.

Auguſt.

Imago Mercurij.

Kircher.

Quomodo eius virtus in ſapientia & econtra.

Idem.

Doctor & Monachus, Hieronymi munus.

12 *Cibabit illum pane vitæ & intellectus*, dicitur, tamquàm ſapientiæ ſingularis opus. Intellectus pane & vitæ; ut pateant alimenta & exercitia Hieronymi. Vitæ, ad Monachiſmi profeſsionem: intellectus, ad Doctoris dignitatem: igitur aratro & libro, utriuſque facultatis ſtudio; etiam cum titulo ac decore Doctoris Maximi, numquàm reliquit facultatem Monachi: licet enim ſtuderet in decorem clarioris intelligentiæ, potiùs incubuit in inſtituta vitæ; ut per utriuſque munus, cibaretur abundè pane vitæ & intellectus. Videtur in Hieronymo liber devoratus à Ioanne, repletus ſimul dirà amaritudine & dulcedine. *Accepi librum, & erat in ore meo tamquàm mel dulce: & cum devoraſſem eum, amaricatus eſt venter meus.* Stomacho illorum, quorum Deus venter eſt (ut ſunt & fuerunt hæretici) minimè placet dulcedo voluminum Hieronymi (Vernaculè: *Los libros del Doctor Maximo, ni les entran en provecho, ni les hacen buen eſtomago.*) ſed novis vel quodlibet dulcius melle, dum illi dulcedine ſunt amari. In noſtrum ergo propoſitum, ut pendamus ſimul aratrum & librum, in Doctoris munere, atque exercitijs Monachi, ex ſplendore lucis, & aratro rigido mortificatione carnis; ubi videbatur in myſterioſo libro amaritudo & dulcedo: igitur uti Doctor alijs ſapientiæ miniſtrabat dulcedinem; & uti Monachus vitæ ſibi ſervabat acerbitatem. Felix poſſeſsione ſua à Moyſe plauditur Gad; quia *cepit brachium & verticem: & vidit principatum ſuum, quòd in parte ſua Doctor eſſet repoſitus.* Aſtruxit in principatu felicitatem, dum ſecum retinuit tantum & talem Doctorem. At qualis & quantus in collectione doctrinæ? Promit cathedra vitæ Hieronymi; qui in ſingularis ſapientiæ culmen, apprehendit brachium & verticem, Doctor Maximus & ad regulam exatiſsimus Monachus: verticem, ut Doctor in ſacrarum Scripturarum intelligentiam: brachium verò ut in flagella acciperet diſciplinam: queis illi oſtenſum vel in terris Dei regnum; quia vio-

Eccli. 15. 3.

Apocal. 10. 10.

An illuſtrior carnis mortificatione, vel ſplendore ſapientiæ.

Deuter. 33. à 20.

violenti rapiunt illud. Hæc Hieronymi ſchola, & invecta in mundum ab illo ſcientia; ut

Iacob. B.ll.

Virtutem virtus pariat, de lumine lumen
Prodeat, atque omnis palma gradū faciat.

13 Etiam in Hieronymi plauſum & meritum, dedit illi ſapientia ſcientiam Sanctorum. Quænam iſthæc Sanctorum doctrina?

Prov. 9. 10.

Scientia Sanctorum prudentia, ut dixi, numero 3. Ab eàdem eſt inſtitutum, verùm modò diverſum eſt argumentum: igitur magna cœli in Hieronymo gratia, quod abundaret in ſcientia.

Bernard

Scientia Sanctorum (ſubdit Bernard. d. eſt *hic temporaliter cruciari & delectari*. Difficilis nexus, ſed ad ſcientiam veram Hieronymi ambivit virtus: igitur ex quibus ambitioſè accepit uſque in contentionem plauſum; ſuſtinuit cavillis atque invectivis opprobrium.

Euſeb.

Æmuli perditio conſilio ſine diſciplina, veſte muliebri irridentes, ei tamquàm viro luxurioſo, impetum fecerunt, & eiecerunt extra Romanam urbem. Euſeb. d. & Auguſtin. ad *Fratr. in Erem.* ſerm. 24. Vigilanter ipſe Hieronymus (cogitans Ieſum triumphantem in civitutem invectum, & poſt ſex dies cruci à plaudentibus affixum) loquitur Aſellæ. *Licèt me ſceleratum quidem putent, & omnibus flagitijs obrutum; pro peccatis meis etiam hæc parva ſunt. Ego probroſus, ego verſipellis, & lubricus, ego mendax, & ſatanæ arte decipiens? Oſculabantur mihi manus quidam, & ore vipero detrahebant.*

Hieronym.

Eius diræ perſecutiones.

Alius inceſſum meum calumniabatur & riſum: ille vultui detrahebat, hic in ſimplicitate aliud arbitrabatur. Dicant quid unquàm in me aliter ſenſerint, quàm Chriſtianum decebat? Antequàm domum S. Paulæ noſſem, totius urbis in me ſtudia conſonabant: omnium penè iudiciò dignus ſummo ſacerdotio decernebar. Dicebar ſanctus, dicebar humilis & diſertus. Poſtquàm illam pro ſuæ merito caſtitatis, venerari, colere & ſuſpicere cœpi; omnes me deſeruere virtutes? O invidia! O ſatanæ calliditas! Ita *Epiſt. 99.* Quid miraris Hieronyme? Ardere convenit, ubi ſplendor lucernæ. Ut luceas, ardeas. *Qui conſcientias ſuas in alienis labijs poſuerunt; falluntur.*

Bernard

In mundo plauſus deſinit in decus.

Modò magni, modò parvi ſunt, modò nihil, modò nulli; ſecundum quod adulantium linguis, vel vituperare placuerit, vel laudare: infert Bernard. loc. cit. de *Baptiſt.* Quid (ni improbus) inquiris laudis ab improbis? Infamium laus non gloria, ſed infamia. Eſt deſciſcere à ſe, ſi aliter fit. Ab impijs egredietur impietas. Labitur humana felicitas. Pende: Chriſtum poſt triumphi pompam; nec ullus quidem invitavit ad menſam.

Marc. 11. 11.

Iuſtus quo magis acceptus, magis odioſus: eò devenit apud ſceleratos virtutis plauſus: Quæ admiratio, iam eſt riſus.

14 Audiatur iudicium Stoici.

Senec.

Mihi contingant (infit, quò ſupr.) *iſte deriſus. Æquo animo audienda ſunt imperitorum convitia: & ad honeſta vadenti contemnendus eſt iſte contemptus.* Hieronymus contempſit: & de contemptu exultavit; quippe eius propoſitum ſcientiæ, probris proſcindi & in deſpectu exultare. *Tamquàm prodigium factus ſum multis* (dicit Numini David) *ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam.*

Pſal. 70 à 7.

Miraculum, & prodigium? Perperàm gloriæ, atque gloriæ magnitudini cohæret Davidica vox; dum infit: *Opprobrium inſipienti dediſti me.*

Pſalm. 38. 9.

Eius gloria ex immerita ignominia.

Prodigia conciliant admirationem, opprobria aſpicientum mœſtitudinem. Unde ergo ſi uti opprobrium à convictu reijcitur; tamquàm miraculum multis feliciter ſpectatur? Ex opprobrio oritur glorificatio, ſumpta in admirationem celſitudine, ex tanta premente calamitate; igitur dum dirè gravat, admirationem excitat; quòd illis eſſet opprobrium, quibus pridem præ dotibus fuerat inſigne prodigium. *Monſtrum quaſi portentum* (exponit Genebrard.) *res ſtupenda & portentoſa, ob malorum & calamitatum magnitudinem*: etenim cùm invidia proieciſſet, quem præ meritis in æthera extulit; ſpectare ita immeritò proiectum, multis apparuit ſingulare prodigium.

Genebr.

Factus in admirationem, propter gloriæ magnitudinem: igitur ampliſsima gloria, & deſpectus optabilis excellentia; quòd multis prodigium factus, dum opprobrium inſipientibus. Haud contempſit contemptum, qui obijciebatur prodigium; ſed ſuſtinuit opprobrium, & propter falſi flagitij pudorem, confuſio cooperuit faciem: memoraturque gloriæ conciliatæ celſitas, & ex opprobrio ſublimitas; ut ſcientiæ mirificæ videretur commendatio, & virtutis ſingularis magnitudo: quandoquidem gratiæ ac virtutis perfectio; prodigium opprobrijs exulcerari, & in opprobrijs exultatione gaudere.

Exultabat eſſe opprobriū quibus iā fuerat prodigiū.

15 Pro Hieronymo exponitus Davidis articulis. Ita igitur in rem Eraſmus. *Noverat Damaſus, qui ab eo epiſtolas, & quæſtionum ſolutiones recipere ſolebat: noverat ex ingenti fama, quæ de eius vitæ probitate, & mirà abſtinentià ferebatur. Concurritur ad eum ex urbe undique, & uterque ſexus in promovendo viro ſecum acriter certat. Non matronæ caſtæ illum dimmitere, non cives,*

Eraſm.

non præsbyteri poſſunt. Alijs ſanctitas, alijs doctrina, alijs comitas & urbanitas placet. Hic in eo linguarum ſcientiam, alter ſacrarum litterarum admiratur cognitionem. Pariter ſuſpiciunt, pariter prædicant & extollunt omnes. Solus Hieronymus invenitur, in quo omnium oculi, omnium defigantur obtutus; & in quo uno totius cleri populique vota ſuſpirent.

Eius inſignes dotes.

Quorsùm tantam molem plauſus excitat? Ut Hieronymus lapſu maiore ruat: equidem eum excitantem in ampliorem dignitatem admirationem, eijcientes extra civitatem; cunctis factus eſt opprobrium, qui multis fuerat prodigium, ſanctitate, eruditione, comitate, manſuetudine; queis ſuperiorem dignitatem amiſit, quippe meruit; conſpiratione lividorum factà, quia faciebat multa ſigna: & his inſipientibus ſufficiebat in opprobrium, quod à multis coleretur ut miraculum. Profectus eſt, & gaudens, in Bethlehem, quippe non placebat urbs, *nec videri & videre* (ut ipſe ait, *Epiſt.* 17.) *ſalutari & ſalutare, laudare & detrahere; ac inter linguas rodentium, poſtes ingredi deauratos.*

Hieronym.

Proceſsit in ſpeluncam priſtinæ habitationis, ut ibi cantaret gloriam & magnitudinem Numinis; cuius cum magnitudine videbatur gloria, atque Sanctorum ſcientia: quippequam exultabat, opprobrijs, flagitijs, impoſturis laceſsitus; qui multis prodigium factus. Appoſitè, etſi aliò Lucanus, 1. *Pharſal.* à v. 285. Nihil magnum,

——— Si tibi Roma ſubegerit orbem:
Nunc neque te longi remeantem pompa triumphi
Excepit, aut ſacras poſcunt Capitolia laurus.
Livor edax tibi cuncta negat.

16 Dicerem in articulum plura, ni plus iuſto traheretur in longum Didaſcalia. Alia profectò pretioſa chariſmata Hieronymo conceſsit eius ſponſa Sapientia. Cuncta næ plena laboris; ſed *honeſtavit illum in laboribus ſuis.* Græcè, *In laboribus ditavit*; ſed illos ſimul averſantes vicit; ut ſciret in ipſa diſputationis pugna, quod omnium & in omnibus potentior eſſet Sapientia.

Ubi ſupr.

Clavi olim pro litteris.

Clavi olim ſerviebant pro litteris, qui figebantur in ſacrario Palladis. Marlian. *Typograph. Rom.* cap. 10. & nos in *Ephemer.* 13. *Septembr.* Ex clavis fixis utique vulnera, ſed acquiritur uti litteris ſapientia, cui debetur laurus; quia ex laboribus honeſtatur in plauſum triumphus. *In eius vultus lumine, divina gratia influente* (ſubdit Auguſtin.) *utriuſque teſtamenti lumen vidimus; & in cuius brachij fortitudine hæreticorum pars maxima eſt diſperſa.* Ipſe in Procœm. *Adverſ. Pelagian.* de ſe dicit: *Numquàm me hæreticis peperciſſe; & omni egiſſe ſtudio, ut hoſtes Eccleſiæ mei quoque hoſtes fierent.*

Auguſt.

Hieronym.

Hæreticos acerrimus hoſtis.

Hoſtes quærit? & tutò: Sapientia illud in ipſis laboribus honeſtavit; ut adverſarij digladiantes viderent in pugna, quanta ſapientiæ potentia. *Gigantes, ſtatura magnà* eſt affinis principali Tautologia, uti vidimus in *Litter.* Principalis verò: *Parvus & modicus, nequaquam multus.* Quæ oppoſita, arrident hæreticorum præſumptioni, & Hieronymi virtuti: etenim qui videbatur illis parvus & modicus, nequaquàm multus; gigas apparuit ſtatura magnus.

Baruch. 3. 26. Iſai. 16. 14.

17 *Viderunt multitudinem exercitus, quia multi ſunt*: dixerunt fideles Machabæo duce; cùm à pravæ religionis aſſeclis eſſent vallati.

1. Mach. 9. 6.

Utquid multorum deſignatio, quando in exercitu ſupponitur multitudo? Quia multi in certamen poſſunt eſſe, ſed non validi: at ſi multi in claſsicum atque pugnam invalidi; erunt & non erunt multi: igitur cùm ad conflictum computari debeant robore; nec unus quidem in copioſa multitudine.

Nec unus in uno.

Seneca.

Hæretici cum illo certare non auſi.

Dicit Tragicus in *Thyeſt.* v. 31. Intendentes & mittentes arcum, multi: verum nec unus in uno, ſi retrorsùm convertuntur in die belli: quippequàm fugientes in fervore certaminis, ut hoſtes victoriæ favent, ſed non ſunt hoſtes: nec eſſe eſt enim, detrectantes pugnam, cedere ſtatim propudioſè victoriam. Multi ſanè infideles ſunt in caſtris, contra quos ſunt fideles, ſed inermes. *Tegumenta & gladios non habebant.*

1. Machab. 4. 6.

Verùm qui venerant cataphracti in exercitum, videntes inermes, *Fugerunt* illicò *in campum*; v. 14. Exercitus armatum imbellem fugit? Utique. Inter inermes validus *Iudas apparuit*: & ubi multi nec unus in uno, neque gladius in gladio; quippequàm Ducis formidantes virtutem, nec auſi videre faciem.

Ibid.

18 Multi hæretici Hieronymum in certamen provocarunt; ſed nec appropinquaverunt, nec ſteterunt. Milites eius laceſſebant, impugnabant, quaſi inermes, quos ſine duce protegebat fides. Ventum in claſsicum: verùm qui armati, fugerunt. Multi ſunt, & nullus eſt: igitur in pugnam apparente Hieronymo; multitudine tantà, nec unus quidem in uno. Habebat in ſcientia Doctor, ut Cherubim, flammeum gladium: in ore ex utraque parte acutum: hoſteſque ut apparuit in certamine nec vultum potuerunt ferre. Fulminat in certamine Hieronymus. Fugiunt qui oderunt eum à facie eius. Ignis ante faciem eius præceſsit in ad-

Nec videre.

verſarios; & inflammavit quot quot in circuitu invenit ut inimicos. Quid, ſi in controverſis fulmen? Proſtravit hæterodoxos antequàm viderent faciem. Eum illorum audacia præſumptuoſa provocavit: ſed Hieronymus *exivit vincens, ut vinceret.*

Apoc. 6. 2.

Sanè antequàm vinceret, hæreticos ſuperavit; quippe parta victoria, priuſquàm in pugnam exiret. Pende contextum. *Habebat arcum & data eſt ei corona.* Potiùs ſi habebat arcum, congruebat ſagitta: & non ſignatur ſagitta, ſed quaſi iam decertaſſet, corona; ut pateret quanta ſapientia, atque virtus Hieronymi pro fidei veræ certamine: equidem antequàm ullam iacularetur ſagittam; partam habebat victoriam.

Illorum fulgebat terror.

In huiuſmodi hoſtes ſine ſagitta arcum habet Hieronymus; ut fugiant à facie arcus. Facies arcus ſat in hoſtium perniciem, antequàm viderint Hieronymi faciem: igitur corona è certamine conceditur, priuſquàm in vulnus ulla ſagitta ſumatur.

Manil. 5. v. 161

Tantus per membra vigor.
Ille prior victor ſtadio, quàm miſſus abibit.

19 De Alexandro dixit Iuſtin. *Hiſtor.* lib. 11. *Plura bella cum præfectis geſſit: quos iam non armis; ſed terrore nominis ſui vicit.* Prævaluit præclaris geſtis. Hieronymus. Siluit terra à facie eius.

Iuſtin.

Dixi alibi, trepidantibus militibus ſuis, ad ſpeciem exercitus hoſtium innumerabilis, dixiſſe Antigonum: *Me autem pro quot habetis?* Vide Plutarch. & Eraſm. in *Apophthegm.*

Plutarch.

Cur in fide conferatur Soli?

Non ſecùs in Hieronymi certaminibus fuit. Eius milites *viderunt multitudinem exercitus, quia multi ſunt.* Pro quot habetur Hieronymus? In uno videtur innumerabilis numerus: in ſapientiaque manet atque perſiſtit ut Sol; quippequàm numquàm in formidine fuit. Ut Sol. Appoſitè in virtutem ſimilitudinis. Sol, *teſtis in cœlo fidelis.*

Pſ. 88. 38.

Non eſt Luna? Non ſunt aſtra, ut aſtruant fidem, propter ſplendentem luminis claritatem? Non ſunt. Luna mutabilis eſt. Stellæ gaudent immutatione lucis; ſed incurſu afficiuntur motu trepidationis. Splendor ſapientiam indicat: Solque conditionem repræſentat; quoniam ſolus ſine motu trepidationis, in cœlo Eccleſiæ fidelis.

Nunquã de fide certamina refugit.

Stellæ cadent de cœlo, ſi ulla interceſſerit ad fidei claritatem trepidatio. Hieronymus ut Sol permanet, umbras errorum ſplendore diſcutit: equidem ad fidei, eſtò continuum certamen; numquàm cognovit trepidatione pavorem. Adſit Lyricus, *lib. 3. Od. 3.* à v. 1.

Horat.

Iuſtum & tenacem propoſiti virum,
Non civium ardor prava iubentium,
Non vultus inſtantis tyranni.
Mente quatit ſolidà,
Nec fulminantis magna Iovis manus.
Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinæ.

20 *Ab oriente uſque ad Occidentem* (infit Euſebius) *auferens bella hæreticorum, eorumque arcum conterens, arma & ſcuta combuſsit.*

Euſeb.

Opus eius ſapientiæ.

Deinde pertranſiens uſque ad finem terræ ſanando oppreſſos ab hæreticorum iaculis, illuminando mentes hominum, Scripturarum ænigmata reſerando, ſolvendo nodos, obſcura dilucidando, dubia exponendo, confutando & corrigendo falſitates, & veriſsima adunando; notas fecit nobis vias vitæ.

1. Reg. 14. 27.

Similis lanceæ Ionathæ.

Erat eloquium Hieronymi lancea Ionathæ, cuius cuſpis tincta melle; ut per ictus errantium illuminaret oculos: & qui quererentur de vulnere, attraherentur ad fidem ipſa vulneris dulcedine. *Nil utilius ſale & Sole*: eſt axioma Medicorum, apud Petr. Canhoner. *Tom.* 1. in Hippocrat. *Aphoriſm.* 2.

Canhoner.

Soli, & ſali.

Aptè quidem, propter ſanæ doctrinæ illuminationem. Opus ſanè Solis benignà luce, ſimulque ſalis acri mordacitate. *Sal verò in medendo mordens*: inquit Plin. *lib.* 31. *cap.* 9.

Plin.

Haud vel leviter morderet, ni morſu vulnus ſanaret. Sal pluvià dulceſsit. Unde idem ibid. *cap.* 7. præmittit: *Non ſine aquæ dulcis riguis; ſed imbre maximè iuvante, ac ſuper omnia Sole multo. Suaviſsimus omnium Tarentinus, atque candidiſsimus: & de cætero fragilis, qui maximè candidus.* Conditiones Doctoris exponuntur; dum lucem doctrinæ proprietates ſalis comitantur.

Matth. 5. 13. 14.

Ut columbæ debent eſſe ſimplices, ſed in prudentia ſerpentes; igitur hæterodoxi ſi tantùm vident candorem, ſuſpicantur doctrinæ fragilitatem: debentque experiri, multo Sole, ac dulcedine pluviæ, erga dogmata inſulſa, qualis & quanta ſalis ſit acrimonia: igitur natura ſalis ſemper eadem cognoſcitur; nec hinc & inde ac ex hoc in hoc mutatur. Aliquando pro opportunitate dulcior, ac pro neceſsitate interdùm acrior; ut Doctor ſit *Sal & lux*:

Sali, & luci.

equidem haud uſurus mordacitate ſalis, niſi in medicamen ulceris, ac in illuminationem veritatis. *Delectare, perſuadere, copiam dicendi ſpatiumque deſiderant* (ait Plin. *lib.* 1. *Epiſt.* 20.) *relinquere verò aculeum in audientium animis, is demùm poteſt, qui non pungit, ſed infigit. Maioris autem ingenij indicium eſt.* Elucet Hieronymi clarius ingenium, non in punctionem figit aculeum:

Plin.

equidem ex vulneris medicamine, vel punctus ſibi gratulatur de vulnere (Vernaculè: *Hiere, no eſcuece.*) Eius enſis, uti cœlitùs traditus, aureus profectò non ferreus: de quo dicitur à fautore: *Accipe ſanctum gladium.*

2. Mach. 15. à 15.

Aureo gladio.

Si eſſet ferreus vulneraret in perniciem: aureus verò in medicamen: Hieronymique gladius, ſanctus dicitur, quoniam aureus & non ferreus; ſiquidem ubi opus vulnerat, ſed non ut vulnera faciat. Aculeum figit, non pungit. Sunt vulnera medicina, ut virus cuſpide egrediatur ex vomica. Mordet, dum guſtatur Panacea, quæ è cœlo deſcendit. *Ipſo nomine omnium morborum remedia promittit*: infit Plin. *lib.* 25. *cap.* 4.

Plin.

Panaceæ

Quid quòd mordens doctrinæ infigatur cuſpis; dum ictus medicatur omnibus morbis? Pro labore in Hieronymi exercitium, datur liber & aratrum. Neceſſarium, ut vidimus, *Hoc & Hoc.* Liber, ut ſapientià fidem plantet, & Catholicos ædificet. Aratrum, ut evellat radices hæreſeon, deſtruat audaciam hæreticorum, diſperdat obſervantes vanitates; & demùm diſsipet univerſos errores. Ita in ſapientia rutilet, quæ illum laboribus honeſtavit,

Propert. 3. Eleg. 2. v. 25.

Ut non ingenio quæſitum nomen ab ævo
Excidat: ingenio ſtet ſine morte decus.

21 At quale decus in morte, & merita laurus; Sapientia dum complevit labores illius?

Maſcul.

O mente Doctor nobilis arduà!
Ne ſemper urge te querimonijs:
Ne tunde pectus ſaxo pervicaci
Pectora, cor gemitu fatigans:
Te certa virtus, te pietas tegit.
Diſſolve ſine fraude nodos.

Accinit Baptiſt. Maſculus, *Lyric.* lib. 9. Od. 23. Minimè formidat, cùm non inſtet de quo caveat: igitur tunc Hieronymi labores complevit, dum illos glorificavit. *Felix completio* (ſubdit Bernard. quò ſuprà) *cùm & hic moritur iuſtus, plenus dierum, & illic oritur in plenitudine dierum: utrobique plenus gratià, & glorià.*

Bernard.

Phœnici.

Verùm qua gratià? Quia mortem invenit, quo loco vitam Ieſus inchoavit? Phœnix effulgurat Doctor Maximus.

Lactant. de Phœn. à v. 41.

Moritur quo Chriſtus naſcitur.

——— *Phœbi naſcentis ad ortus.*
Conſtruit inde ſibi ſeu nidum ſive ſepulchrũ

Sepulchrum & nidum? Electo a Hieronymo tumulo, nequaquàm implicatorium: quandoquidem eſt Hieronymi ſepulchrum, dum plenus dierum feliciter moritur; ubi Salvator eligit nidum, dum naſcitur. Hoc illi ſingulare plenum gaudium:

Claud. in id. v.

——— *Gaudetque mori feſtinus in ortum.*

Iob. 29. 18.

22 Votum prædixerat Iob. *In nidulo meo moriar, & ſicut palma multiplicabo dies.* Tertullian. (de *Reſurrection.* cap. 13. & alij, de quibus ſæpe egimus) *Sicut Phœnix.* Sit ergo Phœnix; ſed ad ſitum omnino diſſonæ voces. Nidus eſt, ubi Phœnix incipit vivere: ſepulchrum autem ſuffragatur morti. Mors & vita contraria, ſicut ſunt cunæ & ſepulchra. Quid tunc habebunt concordiæ, & vita & defectus vitæ?

Cur eius ſepulchrum dicitur nidulus?

Summum in morte Hieronymi, traditi ſepulturæ, iuxta Domini præſepe: in niduloque mori recolitur, ubi in eius ſpelunca poſt obitum collocatur; quippe in nidulo præſepis, a quo vita Salvatoris. Ubi hic ut mortalis naſcitur, ille pro immortalitate moritur: idemque ſitus nidulus appellatur & tumulus; ut nidulus vitæ Chriſti eſſet ſepulchrum Hieronymi. *Duos Phœnices aliquando viſos* (ut falſum ſit, *Unica ſemper avis.*) aſſerit Pier. Valerian. *lib.* 20. *cap.* 1. *Alter formà priori ſimilis: qui quamprimùm pennas indeptus eſt, confert ſe unà in Heliopolim; quo ſimul ac venerit, oriente mox Sole, moritur; novo pullo in regna ſua tranſmigrante.*

Pier. Valer.

Effulſit profectò ut veritas, quod (neſcio quò) ingenioſè cogitavit antiquitas. Iam apparent duo Phœnices, in ſignum admirationis. Unus in nidulo, alter in loculo, ſibi ſtruentes ex nexu contrarietatum, & nidulum & ſepulchrum. Nidulum naſcenti infanti: ſepulchrum, morienti ſeni; quandoquidem idem ipſe locus vidit Chriſtum, Phœnicem naſcentem; atque Phœnicem Hieronymum iuxta Orientem expirantem. Ubi Sol in terras fulgore prodit, Hieronymum

Claud. d. v. 57.

Vitali fulgore ferit,
Conſumitque ſenem.

23 Eluxit nitidè in laborum conſummatione per mortem Hieronymi gratia; quæ completa in ſepulchro rara & mirabili gloria. Hinc Auguſtin. d. profert: *Glorioſiſsimus & mirabilis in prodigijs inſuetis.*

Auguſt.

Cum Hieronymi virtutes eminerent ſingulares, illarum indices non ſolùm mirabilia, ſed ſingularia. *Terra ubi iacebat corpus effoditur* (refert Petr. de Natal. *lib.* 4. *cap.* 45. & Bonifac. Bagatt. Tom. 1. *Admirabil.* O.C. lib. 2. cap. 3. §. 1. n. 18.) *& evacuata fovea, illud in aere pendere conſpiciunt; ita quod nulla ſui parte humum contingens, integrum & incorruptum omninò reperiunt; odoriſque fragrantiam miram cuncti ſenſerunt.*

Petr. Natal.

Sepultus in terra iacuit, ſed terram corpus non tetigit.

Haud mirum, ſi corpus fragrat: Phœnicis erat. Adi Plin. *lib.* 10. cap. 2. In terra cadaver Hieronymi iacet, & terram non tetigit? Iurè Euſebius d. ſubdit: *In ipſo Deus poſuit prodigia ſuper terram.*

Euſeb. Pſ. 45. 9.

Non in alijs elementis? In cunctis næ, ſed maiora profunditate telluris: igitur prodigium ſingulare, terram non tangere, & in terra iacere. Sepulchrum in terra ſtruitur: hinc corpus humatur; verùm

rùm poſita prodigia ſuper terram, in cadaveris ſingulariſsimam gloriam: equidem etſi pondere corporis terram calcet; ſemita in pedibus eius non apparebit. Eſt ibi, quin ibi ſit. Corpus viventis avidè ſecutum cor; ut mirabile in morte clareret; quod fecerat in terra cum adhuc viveret: quippequàm eius emortua membra, vel in profundo terræ; in ſignum actæ vitæ cernunt terram de longè.

Iſai. 11. 10. — *Incorruptum invenitur.* — *Ioann. 20. 11.* — *Encomia eius.* — *Euſeb.*

24 Honor Chriſti ſepulchri ſplendet in ſpelunca Hieronymi. *Erit ſepulchrum eius glorioſum*: dicitur per Prophetam Evangelicum. Hieronym. *Epiſt.* 17. *Erit honor.* Unde ſplendor? Ex modo, quo cadaver iacebat in ſepulchro: equidem ſi ſepulchrum deſtinatur ne conſtet conditio carnis poſt ictum fatalem mortis; viſa cum honore gloria in ipſamet ſepultura, viventis ſine vita ſervans ſingularem dignitatem; quia cadaver in ſepulchro neque vidit corruptionem. Iccircò Magdalenæ dicitur: *Mulier, quid ploras?* Situs non ad fletum, ſed ad gaudium, ni aromatum deploretur diſpendium: etenim nil neceſſarium in cadaveris uſus; cum iaceat in ſepulchro, quaſi non eſſet mortuus. *Quid ploras?* Nil eſt, quo poſsis excitare lachrymas, cum poſsis videre ſepulchrum, honore ſummè glorioſum: igitur ipſo charactere, veſtigio mortalitatis, nec veſtigium corruptionis. Inter Hieronymi encomia legitur apud Euſebium, d. *Vir ineffabilis, virtutum vas admirabile, ſplendor patientiæ, lampas præfulgida, diadema honoris & gloriæ, exemplar innocentiæ, columna aurea, Agnus innocens, lapis firmiſsimus.* Unde conſtabat pretioſitate & ſplendore glorioſus, atque mirabilis in prodigijs inſuetis? E ſepulchro. Glorificatur ſingulari titulo lapidis in monumento.

Zachar. 9.16. — *Deuter. 27.2.* — *Qui lapides termini Iſraelis.* — *Sanct. Fidei & religionis ſtituta à Hieronymo.*

25 Pende prædicta miracula Zachariæ in lege expectata gratiæ. *Rex tuus veniet* (dicit Synagogæ) *& ſalvabit; quia lapides ſancti elevabuntur ſuper terram eius.* Hi lapides dicuntur, in quibus ſcripta erat lex, ut præcipitur, *Deuter.* 27. à 2. qui quidem etiam appellati *Signa* terminorum, *Pſalm.* 64.9. deiecti à Chaldæis, pro quibus ſuffecerunt ſimulacra; qua de cauſa dicit querulus David: *Poſuerunt ſigna ſua, ſigna.* Pſalm. 73.5. Unde Doctiſs. Sanct. in *Iſai.* 54. n.40. ait: *Lapides erant execrabiles. Illorum ergo loco electi & erecti deſiderabiles lapides, qui divinam contineant legem, & alios ſuæ Religionis admoneant.* Pro ſignis fidei, ſigna ſua, quaſi fidei ſigna, poſuerant hæretici: advenienteque Hieronymo, elevati qui deiecti lapides; quia cum eo ſtetit firmiſsime vera fides, recta lex, & ſuæ documenta Religionis: ita ut in erecto, qui toties deiectus, lapide, à cunctis legeretur forma vitæ. Ergo in propoſitum. *Lapides ſancti elevabuntur ſuper terram.* Morte ac ſepultura Hieronymi, videtur hoc prodigium ſingulare: igitur prodigium inſuetum inter prodigia; quod cum in terra iaceret, elevaretur à terra. Uti lapis præ pondere in monumento erat corpus, ſed lapis ſanctus; ob cuius gloriam, perpetranda prodigia ſuper terram: equidem prodigium, quòd (cum corpus eſſet mortuum, & in terra ſepultum) corporis pondere, non iaceret in terra; ſed elevatum ſuſpenderetur in aere. Ubi ſepultum cadaver, nonnumquàm eſt terra ſuper. Inſueta ſigna videnda Hieronymi ſepulturà, dum terra recedit, in qua lapis ſanctus iacet: etenim propter corporis gloriam, etiam ſepultum elevatur ſuper terram.

Intra circulum terræ, corpus in aere. — *Officia ſapientiæ cum Hieronymo.* — *Lucret.*

26 Multa prætermitto invitè, quia tempus breve, in encomia virtutum Doctoris Maximi; quem ſapientia incomparabilis conſtituit in Eccleſiæ Doctorem, ut tot chariſmatibus è cœlo dignatus interpretaretur legem, & nobis Monachis doceret mirabilem ſanctitatem. Expoſui, quomodò cum ſapientia deduxit, felicitatem oſtendit, regimen tribuit, labores honeſtavit, & illos beatitudine complevit. Via utique ſera nimis, ſed famà ac laude perenni. Dicam cum Lucret. 5. de *Natur. Rer.* à verſ. 3.

Quiſve valet verbis tantum, qui fundere laudes
Pro meritis ejus poſſit, qui talia nobis
Pectore parta ſuo, quæſitaque præmia liquit?
Nemo, ut opinor, erit mortali corpore cretus.
Nam ſi ut ipſa petit maieſtas condita rerum
Dicendum eſt; Magnus *ille fuit,*
Qui princeps vitæ rationẽ invenit eam, quæ
Nunc appellatur Sapientia: quique per artem
Fluctibus è tantis vitam, tantiſque tenebris,
In tam tranquillo, & tam clara luce locavit.

DIDASCALIA VI.

Dignitatis inſignia, non ſunt merita.

Iſai. 16. 14.

1 INnuit apertè noſtra Tautologia. *Parvus & modicus, nequaquàm multus.* Quo ergo intuitu additur: *Nequaquàm multus*; ubi Moab non tàm modicus, quàm parvus? In optabilem prudentiam (par-

Nil magnum ſine magnitudine. — *Indignus cõfertur apodi.* — *Plin.*

(partis dignitatibus à fortuna) deſipientium; denuò regeritur argumentum ſuppoſitum: etenim in dignitate ex dignitate non multus; qui dotibus congruis atque meritis parvus. Nihil magnum ſine magnitudine, nihil celſum ſine ſublimitate; quippe qui nanus, etiam nanus in monte; iacetque, etiam ſuperpoſitus pyramidi. Altitudo ſublimium profectò à ſe: qui infulis honoris, magni; non magni ſunt. Parvi ſanè in dignitate ſuperiore, & non plus; ni plus, ſine dignitate. Multus quis, vel parvus; dicet in regimine munus: etenim in illo videtur, quis ſit dignus, vel indignus. Dignus & multus, ſi eius aſſumuntur merita: indignus, ubi non merita aſſumuntur, ſed munera: equidem cùm ad dignitates ſin merita dotes; erit parvus multitudine dignitatum; indignè aſſumptus parvitate meritorum: & extenſio ex vanitate læſæ phantaſiæ fatuitas; quippe extra nidum in plauſum extendit alas. Imitatur apodes in volatu velociores. Hæc avis pedes breviſsimos habet, ſed pennas longas extendit, ſæpeque volando cadit. Non ſecùs accidit indignis, à fortuna utcumquè elatis: etenim diſtortè ſine ruina ei alis congruent volatus, qui nequit ſtare pedibus. Vernacule: *Mal podrà entre los dignos volar, quien con las alas que tiene, no puede tenerſe en pie.* Plin. *lib.* 10. cap. 39. *Aut pendent, aut iacent*: ait. Perpropriè in indignos, ſolicitantes ſine dotibus volatus. Vel iacent in terra, vel pendent à lubrica, inſidiatrice fortuna: quæ quidem uti multivola, ut ex volatu phantaſia indignorum præceps iaceat; in ludibrium per iocum alas callidè ſecat.

Horat. de Art. v. 27. — *Baruch. 3. 26.*

—— *Si profeſſus grandia turget,*
Serpit humi.

Fallit æſtimatio ſui. — *Magnitudo honoris nõ eſt regentis.*

2 *Gigantes ſtaturà magna*: dicit Propheta. Quorſùm ſpecimen altitudinis, ſi gigantes? Ut exulet ineptorum fota blandimine vanitas, quaſi pygmæis tribuat proceritatem meritorum dignitas; dum ſibi videntur quaſi celſiores meritis, quia ex dignitate celſiores: & qui dotibus proceres, ſtaturà ſublimi celebrantur ut gigantes; quia non excelſi gigantes ad magna munera, ni ſint per dotes ſtaturà magnà. Vafrè philautia & ludicro plauſu ſeductricis phantaſiæ, pervertitur ex allucinatione procera ſublimitas dignitatis, & meriti; ut qui venerantur ſedis thronum, ſedentem iudicent magnum (cùm iurè ſeſe ſine meritis retur, qui indignè ut Superior elevatur) & ubi magna merita, iurè ſignantur ſtatura magnà; quoniam ubi in magnis deſciſcit meritorum exiguitas, non illorum ſed tantùm dignitatis ſupereminet proceritas. Solio ſunt magni, præclaris inſtrumentis pygmæi: profectòque vel in culmine ſtatura breves, non gigantes; qui metiuntur proceritatem culminum ſtaturà dignitatum: miſerèque falluntur ex faſtigio celſitudinis; quùm ſtaturà brevi cupiunt videri gigantes. Huiuſmodi peſtem Reipublicæ taxat Hieronymus, *Epiſt.* 51. *Inventus eſt homo abſque præceptore perfectus, pneumatophoros, entheos & autodidatos; qui eloquentià Tullium, Ariſtotelem argumentis, prudentià Platonem, eruditione Ariſtarchum, multitudine librorum Chalcenterum* (ideſt Origenem) *Didymum ſcientià Scripturarum, omneſque ſui temporis vincat Auctores ::: Si applosiſſet pedem, intendiſſet oculos, rugaſſet frontem, iactaſſet manum, verba tonaſſet; tenebras illicò ob oculos offudiſſet.* Iò. Suis coloribus pingit huiuſmodi riſibiles ardeliones, lucentes tenebris; quippe fatui arbitrantur per dignitatem inventam vel raptam, ſcibilium ad theatrum inveniſſe encyclopediam. O quantum eſt in rebus inane! Cerebrum vaporat futile: & ut mens reſtituatur è ſolio, indiget elleboro. Error & inſania. Dicit Horatius, 2. *Epiſt.* 1. à verſ. 27.

Hieronym. — *Deſcriptio infatuati dignitatis ſplẽdore.* — *Horat.*

Dictitat Albano Muſas è monte locutas.
—— *Non eſt quod multa loquamur.*
Venimus ad ſummum fortunæ.

Senec. — *Qui cothurnati honoris grallis, ſunt puſilli ſine cothurnis.* — *Terent.*

3 Quos hæc comitatur fatuos reddit attonitos. Sunt in proſcenio ad ſcenam, & perſonati agunt fabulam, *Elati inceſſerunt & cothurnati: excalceantur & ad ſtaturam ſuam redeunt* (inquit Seneca, *Epiſt.* 76.) *nemo iſtorum, quos honores in altiore faſtigio ponunt, manus eſt. Quare ergo manus videtur? Cum baſi illum ſuà metiris. Non eſt magnus pumilio, licèt in monte conſtiterit. Coloſſus magnitudinem ſuam ſervabit, etiam ſi ſteterit in puteo. Hoc laboramus errore. Neminem æſtimamus, eo quo eſt; ſed adijcimus illi, & ea, quibus adornatus eſt. Ponat honores, & alia fortunæ mendacia.* Quid tunc? Apparent bardi, ſimij, breviſsimi pumiliones, qui grallis honoris eminebant gigantes: parvi, modici, nequaquàm multi; quippe excalceati per fortunam inſanam, qui cothurnati ad ſuam revertuntur ſtaturam: etenim ubi indigni ex infulis non ſplendent; ut videantur, nec apparent: maximè quia tumidi ex vanitate, ubi videntur, frequenter inviſi. Aliquid ſibi dumtaxàt munere ſunt, cæterùm alijs nequid. Nec quid, quippe non à ſe: & ut in *Andria*, Act. 2. ſcen. 1. v. 14. accinit Terentius:

Id aliquid nihil eſt.

Ni-